PROGRAMM

DER

THOMASSCHULE IN LEIPZIG

FÜR DAS SCHULJAHR OSTERN 1876—1877

WOMIT

ZU DER ÖFFENTLICHEN PRÜFUNG AM 21. MÄRZ 1877

UND ZU DER FEIER DES

GEBURTSFESTES SR. MAJESTÄT DES DEUTSCHEN KAISERS AM 22. MÄRZ

EHRERBIETIGST EINLADET

DR. FR. AUG. ECKSTEIN,
RECTOR.

INHALT:

I. Wissenschaftliche Abhandlung des Oberlehrers ~~Dr. Hugo~~ Theod. Hasper: De Cratete et Pherecrate novae comoediae Atticae praecursoribus commentationis pars prior.
~~II. Schulnachrichten von dem Rector.~~

LEIPZIG,
DRUCK VON ALEXANDER EDELMANN,
UNIVERSITÄTS-BUCHDRUCKER.

7. Progr. Nr. 441.

Comoediae Atticae initia quamquam densa caligine ac tenebris offundi semper visa sunt, illud tamen usque ad nostram memoriam est creditum a Doriensibus inventam comoediam posteriore demum aetate coli ab Atticis esse coeptam. Atque Megarenses quidem inventae comoediae honorem sibi vindicasse gravissimus auctor affirmat Aristoteles poeticae p. 1448^a 30 rec. Bekker. In qua quidem comoediae Megaricae indole pernoscenda postquam diligentia ut solet singulari desudavit Augustus Meinekius historiae criticae comicorum Graecorum p. 18—24, totum illud comoediae genus nuperrime deletum esse prorsusque de medio sublatum mirere ab Ulrico Wilamowitzio. Is enim commentatione perquam sane laudabili multisque etiam nominibus ad persuasionem apposita, quam inseruit Hermae volumini nono (1875) p. 319—341, ubi reliquis veterum locis quae spectant ad hoc comoediae genus nullo fere negotio fidem abrogavit, in exstinguenda comoedia Megarica niti sibi videtur ipsius Aristotelis testimonio. Verum haud scio equidem an decantati loci censura iterata, simplici illa quidem neque ullis terminis praesumptae opinionis circumscripta, nimium fuisse Wilamowitzium in tollenda Megarensium comoedia et tamquam lineas transiluisse edoceamur. Nec vero dissentio ego cum Wilamowitzio in praedicanda Aristotelei iudicii gravitate: ipse quoque totum me in societatem honorificentissimae illius existimationis includo quam habes p. 332: 'Zunächst muss ich leider auf die fast todtgehetzten Zeugnisse in Aristoteles' Poetik eingehn; es sind ja nur wenige Andeutungen, allein bei Aristoteles ist man dafür berechtigt, jedes Wort haarscharf zu nehmen: ihm, dem Unvergleichlichen, stand ein in jedem scharfgezeichneten Zuge einheitliches, nirgend von der Phrase verwischtes oder von der Hypothese Glanz flimmerndes Bild vor der Seele; und, ich will es nur gestehn, wenn sich die von uns ermittelten Züge nicht in dies Bild fügen, dann bin ich der erste, der sie bei Seite wirft: ich vindicire Aristoteles auf dem Gebiete der literarischen Thatsachen einfach die Unfehlbarkeit'.

Locus Aristotelis hic est: *ἀντιποιοῦνται τῆς τε τραγῳδίας καὶ τῆς κωμῳδίας οἱ Δωριεῖς, τῆς μὲν γὰρ κωμῳδίας οἱ Μεγαρεῖς οἵ τε ἐνταῦθα ὡς ἐπὶ τῆς παρ' αὐτοῖς δημοκρατίας γενομένης καὶ οἱ ἐκ Σικελίας, ἐκεῖθεν γὰρ ἦν Ἐπίχαρμος ὁ ποιητὴς πολλῷ πρότερος ὢν Χιωνίδου καὶ Μάγνητος . . . ποιούμενοι τὰ ὀνόματα σημεῖον. οὗτοι μὲν γὰρ κώμας τὰς περιοικίδας καλεῖν φασιν, Ἀθηναῖοι δὲ δήμους, ὡς κωμῳδοὺς οὐκ ἀπὸ τοῦ κωμάζειν λεχθέντας ἀλλὰ τῇ κατὰ κώμας πλάνῃ ἀτιμαζομένους ἐκ τοῦ ἄστεως, καὶ τὸ ποιεῖν αὐτοὶ μὲν δρᾶν, Ἀθηναίους δὲ πράττειν προσαγορεύειν.* Sic enim scribo cum codice Parisino 1741 nisi quod habet *χωνίδου* pro *Χιωνίδου* (eodem modo I. Vahlenus recensione altera Berol. MDCCCLXXIV p. 8).

Iam qui de loco aliquo qui est in Aristotelis de arte poetica libro acturus est, ei illud praeter cetera erit investigandum, num re vera ab ipso Aristotele originem traxisse videatur. Tota enim poeticae qualis habetur condicio ita est comparata, eam ut non ex ipsius Aristotelis manibus profectam esse credendum sit, quippe quae manifesto magistri dictata contineat nec integra nec ubique bene ordinata. Hoc tamen loco Aristotelis manum deprehendi ipse profitetur Wilamowitzius p. 334. Qui autem verba sincera illa et simplicia sincere et simpliciter accipiet, is non poterit dubitare quin interpretanda sint hunc fere in modum: tragoediam comoediamque sibi vindicant Dorienses et comoediam quidem Megarenses tum qui hic sunt ut natam florente apud se imperio populari tum qui in Sicilia: (Atqui Nisaeorum quidem Megarensium poetae exstant nulli) inter Siculos autem exstitit Epicharmus poeta multo antiquior Chionide et Magnete ... Afferunt autem Dorienses ipsa nomina documenti loco: *κώμας* enim se vocare pagos, Athenienses vero *δήμους*: nam comoedos non a verbo *κωμάζειν* dictos esse, sed quod per pagos circumierint contempti ab urbe.

Quam nominis originationem ab Aristotele improbari per se sane manifestum est: cum autem ea ad omnes Dorienses pertinuerit cumque ipsi quoque Dorienses Siculi eam acceperint, multum abest ut propterea a Megarensibus abiudicasse comoediam Aristoteles sit existimandus. Etenim comoediae prius quam ab Atticis excultae si non inventae honorem Doriensibus eripere neque voluit Aristoteles neque potuit. Sed tamen iure optimo cautionem adhibuit remque dubiam maluit relinquere. Quamquam enim vel potuit vel adeo debuit aliquam notitiam auditione et fama accepisse Megarensium id genus lusuum: monumentum ipsum eius comoediae vidit nullum; nam si modo haec comoediarum initia umquam litteris descriptae fuerunt, id quod mihi quidem veri simile non est, nihil certe eius modi superfuit Aristotelis aetate: hac in re prorsus facio cum Wilamowitzio. Nec vero dubitandum videtur quin si comoediae Megaricae vindicias aut infitiari aut improbare voluisset Aristoteles, aperte fuerit professurus. Etenim sunt etiam reticentiae sui fines summoque critico cavendum sedulo, ne ubi uno verbo alicuius promeriti arrogantiam delere potest in re gravissima silentii temeritate iudicium posteritatis pervertat. Quam ob rem minime recedes a veri similitudine, si Megarenses revera quasi quoddam comoediae genus quamvis rude et imperfectum protulisse credideris.

Idque per se valde est probabile. Nam Epicharmus qui Megarae Siculorum primus comoedias docuisse narratur artis illas quidem sine dubio iam perfectae non existimandus est invenisse sed excoluisse comoediam. Nihil enim inventum extemplo perfectum esse solet nec quidquam quod vera praestet virtute prorsus caret exemplis. Non enim nisi per gradus enitare in altitudinem. Quare pro tanta commercii necessitudine quod eis certe temporibus haud dubie intercessit inter Megaras matrem et filiam per se habet multos veri similitudinis numeros iam Megarae Nisaeorum lusuum comicorum factum esse periculum, etiamsi eos Epicharmi praestantia mirum quantum superatos esse facile tibi persuadeas.

Indoles autem horum lusuum qualis fuerit in tanta testimoniorum inopia vel potius absentia cognosci hodie nequit, quandoquidem ne Aristoteli quidem accuratam subtilemque eius

scientiam fuisse arbitror. Sed quamquam Megaricae illius — si hoc nomine uti licet — comoediae memoria iam antiquitus admodum fuit parva ac tenuis: illud tamen manifestissimum, si modo fuit, pertinuisse eam ad res civiles reique publicae condicionem neque dubium est quin conviciandi petulantia ac dicteriorum procacitate optimates potissimum principesque civitatis lacessierit.

Efficitur hoc ex ipso Aristotelis loco qui Megarenses comoediam sibi vindicasse ait ut natam florente apud se imperio populari nec minus videtur effici ex altero Aristotelis loco 1449[b] 5 qui infra accuratius nobis erit inspiciendus.

Vt igitur ipse quid iudicem de his comoediae primordiis breviter exponam, non modo non incredibile est sed veri simillimum Megarenses ante Atticos habuisse, quod vel comoediae nomine significarent vel saltem quod accederet aliquo modo ad incompositae impolitaeque comoediae speciem. Nam de arte quam prae se ferebant illa initia noli nimis magnam habere opinionem. Fuerunt *αὐτοσχεδιάσματα* quaedam qualia verae poesi opponuntur ab Aristotele art. poet. 1448[b] 23 *ἐγέννησαν τὴν ποίησιν ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων.* cf. 1449[a] 9 *γενομένης οὖν ἀπ᾽ ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικῆς, καὶ αὐτὴ καὶ ἡ κωμῳδία καὶ ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον, ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικὰ ἃ ἔτι καὶ νῦν ἐν πολλαῖς τῶν πόλεων διαμένει νομιζόμενα.* Conviciorum extemporalium nec versuum vinculis cohibitorum petulantiam conditam illam ioculorum aculeatorum et mordacium rusticitate credas certis iam circumscriptam fuisse argumenti alicuius finibus: quibus lusibus scaenicis nimium sane tribuitur honoris, si comoediae nomine dignentur.

Nec dissentiunt ab illa ratione rudium abiectorumque initiorum qui Ecphantidi ab Aspasio ad Aristotelis Ethica Nicomach. IV. 2. tribuuntur versus*):

Μεγαρικῆς κωμῳδίας
ᾖσμ᾽ ᾖδον εἰ μὴ ᾐσχυνάμην
τὸ δρᾶμα Μεγαρικὸν ποιεῖν

quod si modo limatam elegantiam Graecorum metrorum cum scaenicorum latinorum asperitate commutare liceat sic verto:

canébam carmen Mégaricae comoédiae
nisi mé puderet Mégaram facere fábulam.

nec abhorrent quae Eupolis Prospaltiis dixit:

ὁ δεῖν᾽ ἀκούεις; Ἡράκλεις, τοῦτ᾽ ἔστι σοι
τὸ σκῶμμ᾽ ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικὸν καὶ σφόδρα
ψυχρόν. B. γελᾷ γὰρ ὡς ὁρᾷς τὰ παιδία

*) sic enim scripsi duce G. Hermanno; eandem fere sententiam habet quod coniecit A. Meinekius II p. 13:

Μεγαρικῆς κωμῳδίας
ᾆσμ᾽ ου δίειμ᾽. ᾐσχυνόμην
τὸ δρᾶμα Μεγαρικὸν ποιεῖν.

cf. A. Meinekius hist. crit. p. 22 et Th. Bergkius de reliq. comoed. att. antiq. p. 359.

quod sic ego latine reddo:

heus tu, aúdin? Hercle, istúd quidemst dictérium
plané procax Megáricum perquam frígidum.
B. nam púeri rident ét cachiunant út vides.

[cf. Meinek. II 521. Bergk. de reliq. com. att. aut. p. 359. Scribo autem *ὁ δεῖν'* quod iam proposuit neque tamen recepit Meinekius, versu tertio autem *γὰρ* post *γελᾷ* insero cum Cobeto].

In eandem sententiam videntur accipienda esse quae apud Aristophanem servus argumentum fabulae exponens dicit in prologo Vesparum v. 56:

μηδὲν παρ' ἡμῶν προςδοκᾶν λίαν μέγα
μηδ' αὖ γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον

quod hunc in modum transfero:

nunc ne éxspectetis quídquam a nobis máxumum
neu rísum quendam ráptum Megaricó solo.

Quamquam tribus illis locis in hac quidem quaestione diiudicanda non multum tribuerim gravitatis. Namque iam antiquitus acerbissimum Atheniensium in Megarenses fuisse odium cum ex plerisque locis oratorum Atticorum facile cognoscas tum expositum est a Wilamowitzio p. 322 et quae sequuntur.

Quae si recte disputata sunt, apparet melius aequo de his primordiis cogitasse Meinekium, cum dicit hist. crit. p. 20: 'sed ut ipse ille popularis Megarensium imperii status Plutarcho teste in petulantissimam licentiam degeneraverat, ita etiam comoedia qua usi sunt videtur ad procacissimas cavillationes descendisse et insulsissima quaeque sive praemeditato sive extemporali sermone effutiisse'.

Cum autem haec primordia temporis occasioni accommodata nec poetae cuiusquam, si eo nomine uti licet, nomen profiterentur nec umquam ut videtur describerentur litteris: de eis quae fando tantum audivit ita debuit referre Aristoteles ut rettulit.

His autem freti initiis Megarenses iure quodam suo inventae comoediae laudem sibi arrogare potuerunt. Ac de tempore horum primordiorum equidem nihil certi constituerim: Meinekius hist. crit. p. 19 sq. id post Olympiadem quadragesimam quintam factum videri dicit.

Quae omnia si vera sunt, patet quam in partem illud sit accipiendum quod comoedia Megarica nominatur Atticae antiquae parens. Vt enim e minimis haud raro maxima evadere videas, sic fieri potuit, Attici ut illam quasi scaenicam conviciandi rationem et consuetudinem a Megarensibus adsiscerent. Neque enim ullo modo id videtur a verisimilitudine abhorrere. Nam ut uno utar eoque persimili exemplo: in passionalium qui dicuntur ludorum initiis quis tandem parentem illius artis agnoverit quam Lessingii Goethii Schilleri virtute plane singulari ad summum fastigium perductam admirere?

Si autem illa comoediae primordia a Megarensibus adsciverunt Attici, nemini dubium esse

potest quin recepti generis futtilitatem ingenii virtute immutarint Atticoque lepore et elegantia tinxerint. Nihilo igitur secius vetus illa comoedia reapse Atticorum propria est ac peculiaris, quippe quorum opera demum ad artis speciem sit exculta novaque ac paene inaudita ceperit incrementa. Nec est in tanta tamque excellenti praestantia cur erubescat comoedia vetus quod adventicia fuerunt nec patrio solo enata eius arboris semina, cuius fructus in omne tempus inter dona divinissima numerabuntur.

Quod si Aristophanis et quae secuta est aetati fuit illius continuationis ac seriei memoria, qua apta colligataque erat cum primordiis illis Megaricis comoedia Attica, ob illa abiecta initia haud raro Megarenses ab Atticis irrisos esse et exagitatos valde est credibile.

Nimium diu in hoc genere sum commoratus, sed maxime interfuit cognoscere qualis esset natura comoediae quam vocant Megaricae. Quae si fuit fons comoediae Atticae, duxerit necesse est ad veterem illam Cratini Eupolidis Aristophanis comoediam.

Ipsius autem priscae comoediae Atticae origines non minus sunt obscurae ac tenebricosae. Nam qui Megaricam comoediam primus Atticos docuisse dicitur Susario numquam fuit. Nullam eius mentionem fecit Aristoteles, qui si quidquam de Susarione exploratum habuisset dubitari non potest quin id silentio non fuerit praeteriturus. Quid quod quattuor illi vel quinque versus qui Susarioni adscribuntur a grammaticis fraudis indicium prae se ferunt manifestissimum [de Susarione cf. Meinek. hist. crit. p. 18, 24—26 II 3 et Wilamowitz. p. 337 sq.]. Nec aliorum poetarum qui Cratinum antecessisse dicuntur Aristotelis aetate nec vola exstitit nec vestigium. Etenim quae habentur apud Meinekium II 5—11 Chionidis et Magnetis reliquiae, eas subditicias esse nemo prudens hodie negabit. Ac Magnetis quidem ipsa antiquitate nihil iam superfuisse aperte testatur doctissimus ille grammaticus qui de comoedia scripsit fontium suorum bonitate valde insignis [Duebn. schol. Aristoph. p. XIV Meinek. I p. 535]: *τῶν δὲ δραμάτων αὐτοῦ οὐδὲν σώζεται τὰ δὲ ἐπιφερόμενά ἐστιν ἐννέα.*

Illud tamen vel uno Aristophanis iudicio honorificentissimo [Equitum v. 519 et qui sequuntur] facile cognoscas Magnetem ad genuinum illud genus comoediae antiquae excolendum totum se composuisse. Sed Cratini demum virtus singularis ac paene divina tradita illa et quasi hereditate accepta comoediae rudimenta in tantum fastigium extulit, graviorem sonum ut ei addere potuerit nemo. Qui quidem Aeschyli in dissimili genere simillimus comoediae antiquae pater est existimandus.

Sed vivo Cratino demirandum est viam illam aliquamdiu desertam esse, quam ad id tempus nisi omnia fallunt iam inde a primis initiis ingressa erat Atticorum comoedia. Iam illa enim aetate id agi est coeptum, ut abiecto plane quod vetus comoedia spectabat proposito ad eam speciem perveniretur quam longo intervallo maximo cum plausu et approbatione omnium sequentium saeculorum in nova Atticorum comoedia excultam videmus. Atque duo potissimum fuerunt poetae qui novum illud Atticisque ante id tempus plane inusitatum comoediae genus excolerent C r a t e s et P h e r e c r a t e s, quamquam multum abest ut eis nemo se applicaverit. Numquam enim illud genus si quid video penitus est exstinctum: sed

reiectum ac repressum, ubi primum publicae comoediae audacia procax vicit, totam videtur comoediam veterem comitatum esse usque ad id tempus, quo ea obmutescere in perpetuum est coacta.

Non illi quidem comoedias vere novas nec scripserunt nec potuerunt scribere; sed eorum fabulae in eisdem fere rebus versantes proxime sane accedunt ad novae comoediae speciem: sunt rari et anticipati quasi conatus generis postea demum usu recepti, qui tamen si valuissent, non est dubitandum quin iam tunc ad illam comoediam vitae privatae imitatricem perventum esset.

Ab huius scriptionis opportunitate non videtur alienum esse de Cratete Pherecrateque novae comoediae Atticae praecursoribus paulo accuratius disserere. Qua in re ita versari liceat ut cum veterum de toto hoc genere pervestigentur testimonia simulque indicetur quae fuerit mirae rei caussa ac ratio, tum ex eis quae nobis relictae sunt fabularum reliquiis, quoad eius fieri potest, novi generis in comoedia vetere vestigia indagentur et colligantur.

Atque priore quidem commentationis parte in veterum de utroque poeta testimonia inquiretur reliquiarum ipsarum censura in alteram partem reservata. Quamquam iam ex illis testimoniis, modo eis recte utare, quid sibi proposuerint novae comoediae quasi praecursores ac praenuncii, cognoscas planissime.

Iam si de veterum testimoniis quaeratur, forsitan miretur quispiam non saepius eius rei mentionem factam esse, praesertim cum grammaticorum de poetis comicis studia quantopere in deliciis habita sint cum iam inde ab Aristotelis tum a Ptolemaeorum maxime aetate, facile perspicias ex eis quae multa doctrina diligentiaque disputavit Meinekius hist. crit. p. 5—8. Inde autem hoc est profectum, quantum ego quidem opinione auguror, quod illa studia maximam fere partem spectarunt ad verborum tum crisim tum interpretationem. De fabularum indole universa multo rarius quaesitum esse constat. Accedit quod ipsae grammaticorum quaestiones praeter unum Aristotelis de arte poetica librum communi clade litterarum Graecarum omnes perierunt, quamquam ne is quidem qualis habetur profectus est ab Aristotele. Illarum enim nihil omnino relictum est nisi breviculae scholiastarum adnotationes vel summaria admodum illa arida atque attenuata, quorum exilitas tum demum plane sub oculos caderet, si cum monumentorum, unde deprompta sunt, ubertate atque copia conferre liceret. Sed in tanta de comoedia testimoniorum inopia vel ipsa sunt pretiosissima.

Praeter grammaticos autem, quorum testimonia infra in iudicium vocanda erunt, unus potissimum auctor Cratetis mentionem fecit fabularum ab eo compositarum naturam depingens isque longe gravissimus Aristophanes. Dicit enim in parabasi Equitum v. 537—539

οἵας δὲ Κράτης ὀργὰς ὑμῶν ἠνέσχετο καὶ στυφελιγμούς,
ὃς ἀπὸ σμικρᾶς δαπάνης ὑμᾶς ἀριστίζων ἀπέπεμπεν,
ἀπὸ κραμβοτάτου στόματος μάττων ἀστειοτάτας ἐπινοίας

quod verto hunc in modum:

qualésne Crates irásque tulit vestrás ac sibila raúca,
sumptús qui demittébat vos exígui prandia pránsos,
ore ét peracuto et dúlcisono lepidíssima carmina pínsens.

Duae autem sunt res quas Aristophanis loco edoceare: una eaque ipsa quoque permagni momenti attinet ad aetatem qua fabulas composuit Crates, ad fabularum naturam atque indolem spectat altera.

Cum enim Cratetem post Cratinum commemoret Aristophanes [cf. eiusdem parabasis v. 526 et qui sequuntur], dubium non est, quin Crates non solum aetate fuerit inferior Cratino, sed serius etiam quam Cratinus ad fabulas componendas se applicaverit, id quod comprobatur, quamquam eis opus non est, testium de vetere comoedia auctoritate ad unum omnium.

Atque iam ob eam caussam nequaquam veri simile est post octogesimam quintam demum Olympiadem primam victoriam reportavisse Cratinum, uti manifesto errore prodit locuples ceteroquin testis anonymus qui de comoedia scripsit p. XXVIII. Duebn. p. XIV cf. Meinek. I p. 335: *Κρατῖνος Ἀθηναῖος νικᾷ μετὰ τὴν πε' Ὀλυμπιάδα.* [Non enim fides habenda est coniecturae Meinekii qui hist. crit. p. 45 pro *μετά κατά* ac pro *πε' πα'* legendum esse suaserat. Postea ipse Meinekius cf. addenda et corrigenda ad vol. I p. 2 ad editam scripturam *μετὰ τὴν πε' Ὀλυμπιάδα* rediit Cobeti auctoritate commotus. G. Dindorfius chron. scen. p. 437 proposuit *μετὰ τὴν πέμπτην καὶ ο' Ὀλυμπιάδα*]. Nec debuit meo quidem iudicio hac in re anonymi testimonio patrocinari Wilamowitzius Hermae vol. IX p. 336 'und dass auch bei Kratinos die Mehrzahl (seiner Komoedien) nach seinem Siege 436 fallen, ist mehrfach bemerkt worden'. Fuisset enim tum Cratinus, cum teste anonymo vincere coepit, maior octoginta annis, si quidem verum est quod memoriae tradidit Lucianus Macrob. 25 t. III p. 227 ed. Wetst.: *Κρατῖνος δὲ ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητὴς ἑπτὰ πρὸς τοῖς ἐνενήκοντα ἔτεσιν ἐβίωσε, καὶ πρὸς τῷ τέλει τοῦ βίου διδάξας τὴν Πυτίνην καὶ νικήσας μετ' οὐ πολὺ ἐτελεύτα.*

Primam enim Cratetis fabulam Olympiade LXXXII, 4 in scaenam esse productam Eusebii scimus testimonio idque eo minus habet suspicionis quo magis consentaneum est cum aliis veterum de Cratetis aetate testimoniis. Crates autem priusquam accessit ad fabulas componendas Cratini fuit histrio. Confer scholiastam Aristophanis ad Equitum v. 537 Duebn. p. 53: *κωμῳδίας ἦν ποιητής, ὃς πρῶτον ὑπεκρίνατο τὰ Κρατίνου καὶ αὐτὸς ποιητὴς ὕστερον ἐγένετο,* quocum consentit anonymus de comoedia p. XXIX Duebn. p. XV, Mein. I p. 536: *τοῦτον ὑποκριτήν φασι γεγονέναι τὸ πρῶτον, ὃς ἐπιβέβληκε Κρατίνῳ.* Nec dubium videtur quin Cratinus iam aliquanto prius magnam auctoritatem laudemque sibi conciliaverit. Hoc certe consequens videtur esse Cratinum nullo modo vincere potuisse Cratete multo posterius post Olympiadem octogesimam quintam. Quid quod hanc temporum rationem idem testatur anonymus, qui quamquam Cratinum post Olympiadem octogesimam quintam primum vicisse affirmat tamen Duebn. p. XIV Mein. I p. 535 hoc ordine principes poetas veteris comoediae affert: *τούτων δέ εἰσιν ἀξιολογώτατοι Ἐπίχαρμος Μάγνης Κρατῖνος Κράτης Φερεκράτης Φρύνιχος Εὔπολις Ἀριστοφάνης.*

Sed firmissimo huic coniecturae documento est Aristophanis ille in parabasi Equitum locus:

εἶτα Κρατίνου μεμνημένος, ὃς πολλῷ ῥεύσας ποτ' ἐπαίνῳ
διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔρρει, καὶ τῆς στάσεως παρασύρων
ἐφόρει τὰς δρῦς καὶ τὰς πλατάνους καὶ τοὺς ἐχθροὺς προθελύμνους·
ᾆσαι δ' οὐκ ἦν ἐν συμποσίῳ πλὴν 'Δωροῖ συκοπέδιλε',
καὶ 'Τέκτονες εὐπαλάμων ὕμνων'· οὕτως ἤνθησεν ἐκεῖνος.

Quem si quis libero iudicio legerit, aegre credet Aristophanem verba facere de exactae iam aetatis homine. Imo loquitur de Cratino integerrima mentis acie praedito summamque facultatem poeticam prae se ferente. Eis demum versibus qui sequuntur

νυνὶ δ' ὑμεῖς αὐτὸν ὁρῶντες παραληροῦντ' οὐκ ἐλεεῖτε,
ἐκπιπτουσῶν τῶν ἠλέκτρων καὶ τοῦ τόνου οὐκ ἔτ' ἐνόντος,
τῶν θ' ἁρμονιῶν διαχασκουσῶν· ἀλλὰ γέρων ὢν περιέρρει,
ὥςπερ Κοννᾶς, στέφανον μὲν ἔχων αὖον, δίψῃ δ' ἀπολωλώς,
ὃν χρῆν διὰ τὰς προτέρας νίκας πίνειν ἐν τῷ πρυτανείῳ
καὶ μὴ ληρεῖν, ἀλλὰ θεᾶσθαι λιπαρὸν παρὰ τῷ Διονύσου

describit poeta Cratini ingenium senectute confectum ingeniosissimeque comparat cum lyra cuius vox obmutuerit compagibus vetustate dehiscentibus. Inter utramque autem summae virtutis roborisque et extremae infirmitatis seniique aetatem aliquantum certe temporis nec id nimis exiguum interiectum fuerit necesse est. Quod cum Equitum comoedia iam anno quadringentesimo vicesimo quinto a. Ch. composita proximoque anno docta fuerit, illud consequitur, ut satis magnam partem fabularum, quae Cratino a locupletibus testibus adscribuntur una et viginti, non ut ex falso anonymi testimonio conicias post annum quadringentesimum tricesimum sextum sed iam ante annum quadringentesimum quinquagesimum scriptam fuisse existimandum sit. Quae temporum ratio quam bene congruat cum primo Cratetis fabulas componendi periculo quod fecit anno quadringentesimo duodequinquagesimo unusquisque videt. Mortuum autem esse Cratetem superstite Cratino iam ante annum quadringentesimum vicesimum quartum ex ipso perspicias Aristophanis loco.

Est autem tota haec de Cratetis aetate controversia, ut infra videbimus, artissimo vinculo coniuncta cum altera quae est de eius fabularum indole. Sed etiam de hac nos docebit Aristophanis laus, praesertim si cum reliquis de eius comoedia testimoniis composuerimus: nam laudem esse nec eam vulgarem bellissima sane ironia adspersam iam pridem animadversum est, qua de re conferas Meinekium hist. crit. p. 60. Nec errare videbere, si parvum illum sumptum, quo Athenienses paverit Crates, ad totam referes fabularum compositionem, quam *οἰκονομίαν* vocant Graeci. Utcumque enim iudicabis de comoediae vere antiquae genere universo deque Aristophanis comoediis, quarum integrae fabulae ad nostram aetatem perlatae sunt: illud certe eis non crimini vertes quod nimia simplicitate laborent careantque varietate. Nam sui iuris et

a vitae communis consuetudine et veritate haud raro prorsus abhorrentes nullis subiectae sunt naturae legibus, quae quidem ingeniosissima quadam audacia licentiaque tolluntur. Omninoque poetae veteres de eventu securi nulla videntur se adstrinxisse regula nisi ut inventorum novitate audientium animos delectarent. Quo fit ut insolentissima quaeque ac plane inaudita, ea quae nusquam terrarum nec sunt nec esse possunt omnemque denique rerum et divinarum et humanarum vim et copiam complectatur comoedia vetus. Quid quod tanta in ea est imaginum iam iamque variatarum ac felicissima et quasi divina festivitate descriptarum multitudo talemque in modum summa imis miscentur, ut iustae fabularum conformationi, in qua singulae partes apte inter se respondeant, nullus locus relictus sit. Quo de dissipato argumento acute ut adsolet veteris comoediae praedicator Schlegelius 'über dramatische Kunst und Litteratur' I p. 274 ed. sec.: 'die (alte) Komödie ist demokratische Poesie; es ist Grundsatz darin, sich lieber die Verwirrung der Anarchie gefallen zu lassen als die allgemeine Ungebundenheit aller geistigen Kräfte, aller Absichten, ja auch der einzelnen Gedanken, Einfälle und Anspielungen zu beschränken'. Atque cum complicata ubertate veteris comoediae plurimum sane differt severa illa et distincta simplicitas, quam prae se tulit cum id genus mediae comoediae, quod a singulorum hominum irrisione abstinebat, tum nova potissimum Menandri aliorumque comoedia. Nusquam enim in ea inveneris exsultantem illam et plane incredibilem audaciam, nusquam orationis elationem atque altitudinem quam in Aristophanis comoedia cum antiquitate admiramur: simpliciora submissiora humiliora omnia et vitae consuetudini magis consentanea. Sed virtutes illae immensae compensantur cum lepore quodam inenarrabili tum admirabili artis praestantia qua singulae fabularum partes aptissime inter se sunt nexae et colligatae. Ad talem autem compositionis artem ipsum quoque Cratetem prope accessisse infra ratiocinando confirmabitur. Quid quod iure id vel ex Aristophanis loco concludere tibi videare. Quomodo enim credibile est iudicaturum fuisse Aristophanem, si Menandri Philemonisve fabulam in manibus habuisset? Haud fere aliter dixisset

ἀπὸ σμικρᾶς δαπάνης ὑμᾶς ἀριστίζων ἀποπέμπει

adiunxissetque

ἀπὸ κραμβοτάτου στόματος μάττων ἀστειοτάτας ἐπινοίας.

Ἀστειόταται enim *ἐπίνοιαι* sunt urbanissimi sales et facetiae, lepidissima dicta inventaque, quae quanto magis in novam comoediam conveniant non est quod accuratius exsequar. Atque etiam *κραμβότατον στόμα* mirum quantum quadrat ad novam comoediam apte describendam, quo dulcissimum maximeque sobrium dicendi genus significari ex scholiastae interpretatione apparet schol. Aristoph. ed. Duebn. p. 53: *κραμβοτάτου, ἡδυτάτου, ξηροτάτου . . . αὐτοσχέδιος γὰρ ἦν περὶ τὰ δράματα.* Comparaveris cum hac Cratetis virtute Nestoris illam apud Homerum laudem, cuius melle dulcior fluebat oratio, licet eandem sententiam de industria sordidius expresserit Aristophanes.

Sic omnia videntur illi quam recepi interpretationi accommodata esse, quamquam ne sequi dicar Goethianum illud quod est in Xeniis placidis II 30, hac me coniectura non usurum fuisse libenter profiteor, si unum hoc de Cratete testimonium nobis servatum esset.

Alter etiam est locus ubi Cratetem descripserit Aristophanes in Thesmophoriazusis secundis servatus ille ab Athenaeo III p. 117 c., quo perstringuntur Cratetis versus item servati ab Athenaeo: sed nihil utroque loco proficimus ad perspiciendam fabularum naturam nisi griphorum genere usitatissimo ne Cratetem quidem abstinuisse inde cognoscitur. De quo Aristophanis loco qui plura desideret adeat Schweighaeuseri vol. VII (animadversionum vol. II) p. 315 sq. et Th. Bergkium apud Meinekium II p. 1085.

Venio ad testimonium grammatici anonymi qui de comoedia scripsit, quem quidem summa dignum esse et fide et auctoritate, cum longe optimis auctoribus sit usus, qui comicorum Graecorum historiae operam navarunt uno ore consentiunt omnes. Est is apud Meinekium I p. 536 [cf. schol. Aristoph. Duebn. p. XV]:

Κράτης Ἀθηναῖος. τοῦτον ὑποκριτὴν φασι γεγονέναι τὸ πρῶτον, ὃς ἐπιβέβληκε Κρατίνῳ. πάνυ γελοῖος καὶ ἱλαρὸς γινόμενος. καὶ πρῶτος μεθύοντας ἐν κωμῳδίᾳ προήγαγε. τούτου δράματά ἐστιν ἑπτά. Quocum testimonio coniungo quae de Pherecrate addit idem:

Φερεκράτης Ἀθηναῖος νικᾷ † ἐπὶ θεάτρου γινόμενος. ὁ δὲ ὑποκριτὴς † ἐζήλωκε Κράτητα καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη, πράγματα δὲ εἰσηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει γενόμενος εὑρετικὸς μύθων. Vbi verbis corruptis *ἐπὶ θεάτρου γινόμενος ὁ δὲ ὑποκριτής* medicinam nondum inventam esse existimo. Illud enim non possum adduci ut cum Dindorfio et Meinekio hist. crit. p. 66 Dobraei coniecturam probem scribentis *νικᾷ ἐπὶ Θεοδώρου, γενόμενος δὲ ὑποκριτής*, unde eum iam anno quadringentesimo duodequadragesimo fabulas docuisse efficeretur, id quod mihi quidem probabilitate videtur carere. Theodorus Bergkius comment. de reliq. com. att. antiq. p. 284 duplici in desperato loco usus est remedio: *νικᾷ ἐπὶ πθ' Ὀλ. ἐπὶ τοῦ θεάτρου γενόμενος αὐτὸς ὑποκριτής. ἐζήλωκε δὲ Κράτητα* et quod magis ei probatur *νικᾷ ια'* id est *ἑνδεκάκις*. Quam coniecturam si probabilem esse concedo — nam tale quid exspectaveris — restant verba corrupta *ἐπὶ θεάτρου γινόμενος. ὁ δὲ ὑποκριτής*. Nec quod proposuit Dindorfius comparato loco Aristotelis poet. c. 5, 5 probavitque Vahlenus Aristotelis de arte poetica p. 14: *νικᾷ ἐπὶ θεάτρου. γενόμενος δὲ ὑπόπικρος*, id aut scripsisse credo anonymum aut scribere potuisse. Etenim nemo intellegit, ut iam dixi, quid supervacaneum illud prorsusque ineptum *ἐπὶ θεάτρου* sibi velit neque scio an *γενόμενος δὲ ὑπόπικρος* coniectura, qua egregie correcta esse anonymi verba affirmat Duebnerus schol. Aristoph. p. XV, speciosior sit quam verior. Non enim me iudice potuit dicere anonymus subacerbum fuisse Pherecratem, sed non acerbum, ut Cratetem idem *πάνυ γελοῖον καὶ ἱλαρόν* nominaverat. Conieceris igitur pro *ὑπόπικρος*: *οὐ πικρός*, quamquam ne hoc quidem pro vero habendum est. Imo *ὑποκριτής*, si quid video, est retinendum, in *ἐπὶ θεάτρου* autem verbis, quae ferri nullo modo possunt, videtur poetae alicuius nomen latere, ante quod victoriarum numerus excidit. Vt totus locus in hunc modum sit restituendus: *Φερεκράτης Ἀθηναῖος νικᾷ ια'* (sic fortasse cum Bergkio scribendum) ***Ἐπιχάρμου** δὲ γενόμενος ὑποκριτὴς ἐζήλωκε Κράτητα καὶ αὖ* et q. s. De Epicharmi nomine dubitaverit fortasse quispiam et me ipsum dubitasse confiteor; quamquam quis negaverit potuisse Pherecratem in Sicilia Epicharmi histrionem esse? Quantum autem coniectura mea a litteris habeat commen-

dationis non est quod moneam. Ac si vera est, ipsa quoque confirmat, id quod supra demonstrabam, totum illud comoediae genus a Cratete et Pberecrate expressum esse Epicharmi imitatione.

Quomodocumque autem totus locus scribetur: illud pro certo affirmaverim non histrionem Pherecratem Cratetis fuisse aemulum, id quod ex codicum scriptura *γινόμενος. ὁ δὲ ὑποκριτὴς ἐζήλωκε* concluserit aliquis, sed poetam Pherecratem. Nihilo minus tamen quae ad nostram rem pertinent per se sunt manifesta.

Iam cum tria potissimum, si a corruptis verbis discesserimus, nos doceat grammaticus, unum quod festivum plane atque hilarum dicit Cratetem (*πάνυ γελοῖος καὶ ἱλαρὸς γινόμενος*), nemo non videt quam congruat cum Aristophanis quod attuli iudicio *ἀπὸ κραμβοτάτου στόματος μάττων ἀστειοτάτας ἐπινοίας.*

Atque ut praetermittam nunc quod ebrios in comoediam induxisse perhibetur Crates, qua de re deinde disputabitur accuratius, rem omnium gravissimam adiunxit grammaticus de Pherecrate, quem quidem Cratetis aemulum fuisse diserte tradit (*ἐζήλωκε Κράτητα*). Dicit enim *καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη, πράγματα δὲ εἰςηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει, γενόμενος εὑρετικὸς μύθων.* Nec vero dubium cuiquam poterit esse quin *αὖ* illud ad utramque Cratetis Pherecratisque memoriam pertineat, praesertim si cum eis comparaverit quae de Cratete memoriae prodidit Aristoteles. Vterque igitur poeta maledicere destitit. Itaque qui de interpretationis probabilitate dubitaverit, qua Aristophanis de Cratete locum explanare studui, ei anonymi testimonio persuadebitur. Quid enim? Maledictis destitisse si dicuntur Crates et Pherecrates nonne palam segregantur a numero antiquae comoediae poetarum? Intercedit igitur re vera inter Cratetem Pherecratemque et inter novae comoediae poetas arta quaedam necessitudo. An quisquam manifestius etiam insigniusve rei quae agitur documentum desiderabit? Maledicendi enim studium adeo cum veteris comoediae natura est coniunctum, ut cetera si in ea externa esse et adventicia existimabis, hoc ei innatum et peculiare sit iudicandum; ac si eius generis nota quaedam quaeratur et formula, praeter hanc nulla poterit afferri. Quam ob rem quod de Cratino, quem praeter ceteros sane severum et acerbum iudicem fuisse omnes consentiunt, grammaticus quidam dixit — quintus numero est apud Duebuerum p. XVI cf. Meinek. I p. 540 — eius comoediam esse flagellum publicum [*τοὺς κακῶς πράττοντας διαβάλλων καὶ ὥςπερ δημοσίᾳ μάστιγι τῇ κωμῳδίᾳ κολάζων*]: id plus minusve de toto hoc comoediae genere potest dici. Nec dubitandum est, quin si quis hanc maledicendi licentiam iam tunc sustulisset, veteri comoediae animam ac vim quasi vitalem fuerit sublaturus. Atque id ab ipsa antiquitate est perspectum rectissimeque Horatius

> Successit vetus his comoedia, non sine multa
> Laude; sed in vitium libertas excidit et vim
> Dignam lege regi; lex est accepta chorusque
> Turpiter obticuit sublato iure nocendi.

Quodsi Crates et Pherecrates maledicendi consuetudinem abiecisse dicuntur, sequitur

reapse iam ab eis viam esse anticipatam, qua pedetemptim ad novam comoediam est perventum.

Miretur hic fortasse quispiam me non assentiri eorum sententiae qui mediam comoediam a Cratete Pherecrateque praeformatam esse contendant. Quid autem? Ad mediae comoediae speciem si utrumque poetam accessisse dixerimus, num certis quibusdam nec ambiguis signis et notis naturam eius generis, in quo versatae sunt Cratetis et Pherecratis fabulae, descripsisse iudicabimur? Nullo modo. Etenim media quae vocatur comoedia certum quoddam, ex se aptum, ab antiqua et nova comoedia diversum genus numquam fuit. Iano bifronti similis comoedia media *ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω λεύσσει* suo ipsius habitu et specie carens. Duo tantum fuerunt genera suapte natura inter se diiuncta atque contraria et antiquae et novae comoediae: id quod perspexit sagacissimi iudicii vir, qui post magnum illum Lessingium arti scaenicae rectius cognoscendae clarissimum lumen praetulit, Augustus Guilelmus Schlegelius in aureolo de arte et litteris scaenicis libro I p. 326 sqq. Recentiore aetate Guil. Fielitzius 'de Atticorum comoedia bipartita' Bonn. MDCCCLXVI demonstrare est conatus totam illam comoediae in antiquam mediam novam divisionem non novisse veteres nisi post Hadrianum imperatorem. Negat enim apud eorum quemquam, qui ante illud tempus scripserunt, mediae comoediae ullam mentionem fieri, permulta autem vestigia inveniri, ex quibus colligatur eam, quae postea media dicta est, comoediam ab illis novae fuisse subditam. Qua in re etsi de tempore inventi nominis cum Fielitzio disceptari licebit: illud tamen iure contendas tripartitam illam comoediae divisionem nondum esse receptam in Alexandrinorum canonem a veteribusque grammaticis mediae comoediae memoriam omnino fuisse alienam. Accedit quod antiquae comoediae poetae tantum non omnes tales docuerunt comoedias, quales media aetate scribi solebant. Nam vel primus, qui antiquam illam comoediam in regnum accivit quique cum Eupolide praeter ceteros incorruptam eius integritatem servavit, Cratinus Ulixes comoediam ad similitudinem mediae comoediae composuit: id quod cum animadversum sit a Platonio ubi de Aristophanis Aeolosicone disputat [cf. Duebn. p. XII b et Meinek. I 532: *σκοποῦ γὰρ ὄντος τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας τοῦ σκώπτειν δήμους καὶ δικαστὰς καὶ στρατηγούς, παρεὶς ὁ Ἀριστοφάνης τοῦ συνήθως ἀποσκῶψαι διὰ τὸν πολὺν φόβον, Αἴολον τὸ δρᾶμα, τὸ γραφὲν τοῖς τραγῳδοῖς ὡς κακῶς ἔχον διασύρει. τοιοῦτος οὖν ἐστιν ὁ τῆς μέσης κωμῳδίας τύπος, οἷός ἐστιν ὁ Αἰολοσίκων Ἀριστοφάνους καὶ οἱ Ὀδυσσεῖς Κρατίνου καὶ πλεῖστα τῶν παλαιῶν δραμάτων οὔτε χορικὰ οὔτε παραβάσεις ἔχοντα* et p. XIV Duebn. *οἱ γοῦν Ὀδυσσεῖς Κρατίνου οὐδενὸς ἐπιτίμησιν ἔχουσι, διασυρμὸν δὲ τῆς Ὀδυσσείας τοῦ Ὁμήρου*], tum ipse Cratinus novasse se aliquid aperte videtur professus esse novum et inusitatum oblectamentum hanc comoediam dicens [fr. XVI *νεοχμόν τι παρῆχθαι ἄθυρμα*]. Aliam quoque comoediam Cratini Cleobulinas ad medium comoediae genus referre licebit. Iam si Cratetem inventorem vel novatorem praedicat Aristoteles, qua de re in extrema commentatione disputandum erit, nullo modo in animum induxit Cratetis fabulas aequiparare Cratini Ulixibus et Cleobulinis. Cratetem enim primam docuisse fabulam anno quadringentesimo duodequinquagesimo nec ultra quadringentesimum vicesimum quintum vel quartum

vixisse vidimus; Cratinus autem Ulixes comoediam videtur conscripsisse intra annos quadringentesimum undequadragesimum, quo anno Morychide archonte antiquae comoediae licentia lege est refrenata et tricesimum sextum quo illam legem denuo sublatam esse scimus. Unde simul cognoscitur veram esse nostram de Cratinearum fabularum temporibus computationem, cum haec lex ad maledicendi licentiam minuendam contra Cratinum potissimum proposita esse videatur, nec minus illud apparet non potuisse Cratinum de novo inusitatoque oblectamento loqui, si iam antea a Cratete eiusdem generis fabulae conscriptae erant. Quamobrem Cratetis fabulae longe alia indole fuerint necesse est. Nec enim credibile videtur Cratini Ulixes ipso ingenio et proposito a ceteris huius poetae comoediis abhorruisse, quae ipsa est sententia Theodori Bergkii comment. de reliq. com. Att. ant. p. 141. Crates vero et Pherecrates maledicere destiterunt: media autem aetate, quae intercessit inter firmissimam dominationem comoediae et antiquae et novae, perpetuo in utramque partem fluctuatum est et vacillatum, nec illa ratio singulos homines lacerandi penitus evanuit, sed pro repressa populi libertate imminuta tantummodo est ac saepius delumbata. Atque ut in vetere comoedia principes civitatis potissimum vel saltem magnae auctoritatis viri acerbissime vellicabantur, ita media aetate oratores, poetae, philosophi, meretrices, alii minorum quasi gentium homines vel exteri etiam Macedoniae, Thessaliae, Syracusarum reges carptos esse invenias, quippe quorum omnium ira non esset pertimescenda. Verum praeter ea argumenta, quae ad deorum heroumve fabulas pertinentia adeo ea aetate in deliciis habita sunt, nihil ut mediae quae vocatur comoediae magis proprium dici possit, ipsa quoque comoedia media singuli saepissime ac certi quidam homines per totas fabulas sunt castigati. Nihil plane ad rem, si eius aetatis poetae paullo leniore occultioreque*) usi sunt cavillandi ratione. Potuerunt quidem hebetari et retundi irrisionis aculei: evelli permultis eorum et extorqueri non potuerunt. Quodsi media iam aetate nonnumquam, extremis potissimum temporibus singuli homines desiti sunt lacessi, iure agnoscas eius comoediae notas, quae remotis singulorum homi-

*) inde repetendum est, quod mediae illi comoediae a grammaticis tribuitur ambiguitas quaedam et obscuritas. Conferatur grammaticus de comoedia qui est quartus apud Duebnerum p. XVI, Meinek. I 538: *ἐπεὶ δὲ ἡ κακία προέκοπτεν, οἱ πλούσιοι καὶ οἱ ἄρχοντες μὴ βουλόμενοι κωμῳδεῖσθαι τοῦ μὲν φανερῶς κωμῳδεῖν ἐκώλυσαν, ἐκέλευσαν δὲ κρύφα, οἷον αἰνιγματωδῶς εἶτα δὴ καὶ τοῦτο ἐκώλυσαν, καὶ πτωχοὺς ἔσκωπτον, εἰς δὲ πλουσίους καὶ ἐνδόξους οὐκέτι* et grammaticus IX a apud Duebnerum p. XVIII, apud Meinek. II 1235: *οὐ μετὰ πολὺν χρόνον οἱ πλούσιοι καὶ οἱ ἄρχοντες οὐ βουλόμενοι κωμῳδεῖσθαι, ἤρξαντο κωλύειν τοὺς κωμικοὺς τοῦ φανερῶς καὶ ὀνομαστὶ ἐλέγχειν τοὺς ἀδικοῦντας, ἵν᾿ ἐντεῦθεν ἀδικοῦντες μὴ ἐλέγχωνται ὑπ αὐτῶν· ὅθεν ὥςπερ αἰνιγματωδῶς καὶ οὐ φανερῶς ἠλέγχοντο ὑπὸ τῶν κωμικῶν, ἀλλὰ καὶ ἔτι ἐπὶ πλέον προιούσης τῆς κακίας ἐκωλύθησαν καὶ τοῦ αἰνιγματωδῶς κωμῳδεῖν. διὸ εἰς ξένους καὶ πτωχοὺς ἔσκωπτον, εἰς δὲ πλουσίους καὶ ἐνδόξους οὐκέτι* et scholiasta Dionysii Thracis, quem Heliodoro auctore usum esse cum Schneidewino vidit Ritschelius de biblioth. Alexand. disp. coroll. p. 55. IXb apud Duebn. p. XXI Mein. I 559: *ὅθεν ωςπερ αἰνιγματωδῶς καὶ οὐ φανερῶς ἠλέγχοντο ὑπὸ τῶν κωμικῶν . . . . . διὸ καὶ τρεῖς διαφορὰς ἔδοξεν ἔχειν ἡ κωμῳδία. καὶ ἡ μὲν καλεῖται παλαιά, ἡ ἐξ ἀρχῆς φανερῶς ἐλέγχουσα, ἡ δὲ μέση καὶ αἰνιγματώδης, ἡ δὲ νέα . . .* quocum plane consentit Andronicus Duebn. p. XXII, Meinek. I 561: *ἀλλ᾿ ἡ μὲν κωμῳδία τρεῖς ἔχει τὰς διαφοράς, καὶ ἡ μὲν καλεῖται ἀρχαία ἐξ ἀρχῆς φανερῶς ἐλέγχουσα . . . ., ἡ δὲ μέση τις καὶ αἰνιγματώδης.* Quibuscum Meinekius non debebat conferre Tzetzem, qui Duebn. p. XXIII, Mein. II 1247 mentionem quidem fecit *ψόφου κεκρυμμένου* ita tamen ut eum miro errore Cratino Eupolidi Aristophani nec vero, de qua omnino silet, mediae comoediae tribuat.

num vitiis certum quoddam genus hominum derideat multoque magis in subtili morum descriptione concinnaque argumenti explicatione habitans claram imaginem laetae Graecorum vitae exprimat. Quodsi ad eos poetas mediae comoediae Cratetem Pherecratemque transitum parare dicas, non sane repugno. Nullo modo autem utriusque comoediam definivisse videbere, si simpliciter eos mediae comoediae poetis adscribes. Verum quidem est nonnumquam etiam in nova comoedia vel hunc vel illum adversarium irrisum esse et vellicatum notabiliaque sunt quae in hanc rem congessit Meinekii sedulitas hist. crit. p. 436. Sed quam raro hoc factum invenies et quam obtusa praestrictaque sunt in ea irrisionis tela. Accedit aliud idque mea quidem opinione summi momenti indicium. Nusquam enim dedita per totam fabulam opera poetae id videntur egisse, ut aequalium quemquam carperent, sed interdum tantum ac fortuito quasique furtive, ubi reprehensionis ansam nancisci sibi videbantur, breviculis ac placidulis usi sunt irrisiunculis. Hunc autem in modum accipiendum esse credo quod ne Pherecrates quidem a singulorum hominum cavillationibus prorsus abstinuit, cuius rei exempla attulit Meinekius hist. crit. p. 66.

Satis demonstrasse nobis videmur quid sibi vellent anonymi verba *καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη*, unde intellegitur Cratetem et Pherecratem, quamquam antiquae comoediae aetate florebant, iam tum novae principia legesque praecepisse et quodammodo praeoccupasse.

Sed adiunguntur a grammatico de Pherecrate verba *πράγματα δὲ εἰςηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει, γενόμενος εὑρετικὸς μύθων*. Atque qualia fuerint nova illa Pherecratis argumenta statim significabitur nec enim in dubio est positum: difficilius est ad iudicandum, cur Pherecrates dicatur *εὑρετικὸς μύθων*. Sed haec quoque quaestio ita videtur comparata esse, ut etiamnunc ad liquidum perduci queat. Cum autem de *μύθου* vocabuli usu ad Aristotelis locum disputandum sit accuratius, hic id tantum affirmo *μύθων εὑρετικοῦ* laudem ad eandem sine dubio rem pertinere atque *πράγματα εἰςηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει*. Nec ea coniectura audacior esse videbitur, si Crateti quoque eiusdem laudis particulam aliquam tribuere voluisse anonymum iudicabimus, quamquam Pherecrates, ut poeta feracior, magis sine dubio ea dignus fuit. Praeterea non sine pondere est, quod ab eodem grammatico eadem *εὑρετικοῦ* laus ipsi quoque Epicharmo attribuitur: id quod hic breviter tangere satis habeo.

Consulto praetermisi, quod ebrios a Cratete primo in comoedias esse introductos prodit anonymus '*καὶ πρῶτος μεθύοντας ἐν κωμῳδίᾳ προήγαγε*', qua in re optimo certe auctore usus est grammaticus. Coniungenda est autem cum hoc loco Athenaei memoria l. X p. 429a, quae utcumque de Athenaei in tali quaestionum genere fide et auctoritate existimabimus, ex limpidissimo fonte videtur hausta esse. Vnde praeterquam quod Epicharmi auctoritatem hac in re secutus esse dicitur Crates, in Vicinis fabula hoc factum esse cognoscimus. Dicit enim Athenaeus *ἀγνοοῦσί τε οἱ λέγοντες πρῶτον Ἐπίχαρμον ἐπὶ τὴν σκηνὴν παραγαγεῖν μεθύοντα· μεθ' ὃν Κράτητα ἐν Γείτοσι*.

Quod quidem anonymi testimonium vix minimi momenti instar habiturum, si singillatim respicietur, haud mediocrem gravitatem adipiscetur coniunctum cum eo in quem supra inquisivi loco: *καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη, πράγματα δὲ εἰςηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει, γενόμενος*

εὑρετικὸς μέθων. Quid enim? Nihil aliud eum fecisse num credibile est, quam quod vel ante Cratetem iam Aeschylus in Cabiris*) moliebatur, ubi Iasonem temulentum induxisse fertur, vel post eum fecit Aristophanes qui in Vespis Philocleonem ebrium introducebat? quod cave credas Meinekio hist. crit. p. 61. Ac probatur in hac re, si usquam, quod dictitant: duo cum faciunt idem, non est idem. Nec enim dubitandum, quin si nihil aliud significare voluisset grammaticus doctissimus, rem plane praetermissurus fuerit. Multo plus ei rei inest auctoritatis. Id enim egit in Vespis Aristophanes, ut Philocleo Atheniensium maiorum natu pauperiorumque quasi vicarius condicionibus quam maxime ridiculis implicaretur, priusquam Bdelycleonis filii labore iudicandi rabies eius persanatur. Verum talem civium suorum reprehensionem, ut vidimus, omnino non curabat Crates. Illud potius significare voluit anonymus certas illas atque ut ita dicam stabiles personas, quas in nova potissimum comoedia praeeunte sane aliquam partem media in summa similitudine varietate mira descriptas reperias, a Cratete si non inventas esse, at inductas tamen in Atticorum comoediam. In illarum igitur personarum stabilium numero etiam ebrii persona Cratetis est referenda. Quam postea in fabulis novae comoediae saepenumero in scaenam esse revocatam cum ex comoediarum reliquiis perspicimus tum ex Dionis Chrysostomi ad Alexandrinos oratione XXXII p. 699 ed. Reisk.: *ἐν ταῖς κωμῳδίαις καὶ διασκευαῖς Καρίωνα μὲν εἰςάγοντες μεθύοντα καὶ Δᾶον.*

Atque stabilium personarum numerus a Pherecrate Cratetis assectatore et comite auctus est ac dilatatus et ob eam ipsam caussam anonymus adiecit: *πράγματα εἰςηγούμενος καινὰ* et quae sequuntur. Quid? hoc argumento ab ipsa antiquitate profecto num locupletius firmiusve exspectes ad rem quam defendimus comprobandam?

Induxit autem Pherecrates, si vera est Meinekii coniectura perquam probabilis, in Agriis fabula 'homines solitarios et ab aliorum societate remotos ideoque morosos et ad aliorum adspectum trepidantes, eosdem irasci faciles et contumaces' [Meinek. hist. crit. p. 80].

Videtur etiam hominem voracem in fabula cui nomen est *Ἀγαθοί* in scaenam produxisse. Quamquam huic rei ipse non multum tribuo ponderis, cum et antiqua comoedia Herculis voracitatem descripserit saepenumero et tota haec comoedia ab aliis adscribatur Strattidi, qui cum post Olympiadem nonagesimam nonam fabulas in scaenam produceret, ultima eum aetate anti-

*) cf. Athenaei l. X p. 428 f.: *ἐπεὶ καὶ τὸν Αἰσχύλον ἐγὼ φαίην ἂν τοῦτο διαμαρτάνειν· πρῶτος γὰρ ἐκεῖνος, καὶ οὐχ, ὥς ἔνιοί φασιν, Εὐριπίδης, παρήγαγε τὴν τῶν μεθυόντων ὄψιν ἐς τραγῳδίαν. ἐν γὰρ τοῖς Καβείροις εἰςάγει τοὺς περὶ τὸν Ἰάσονα μεθύοντας.* De Cabiris deque Aeschyli fabula conferatur Lobeckius Aglaophami II p. 1208. Sed servati nobis sunt ipsi Aeschyli versus ab Athenaei epitomatore I p. 17c, ubi haec leguntur: *τῶν δ' ἄλλων ποιητῶν ἔνιοι τας καθ' αὐτοὺς πολυτελείας καὶ ῥαθυμίας ἀνέπεμπον ὡς οὔσας καὶ κατὰ τὰ Τρωικά. Αἰσχύλος οὖν ἀπρεπῶς που παράγει μεθύοντας τοὺς Ἕλληνας, ὡς καὶ τὰς ἀμίδας ἀλλήλοις περικαταγνύναι. λέγει γοῦν·*

Ὅδ' ἐστὶν, ὅς ποτ' ἀμφ' ἐμοὶ βέλος
γελωτοποιον, τὴν κάκοσμον οὐράνην,
ἔρριψεν, οὐδ' ἥμαρτε. περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
πληγεῖσ' ἐναυάγησεν ὀστρακουμένη,
χωρὶς μυρηρῶν τευχέων πνέουσ' ἐμοί

quae comoediae fuisse intellegitur. cf. Athenaei l. XIII p. 592 d Sed res ita comparata videtur esse, merito ut fortasse de retractata a Strattide Pherecratis fabula cogitare possis.

Idem dulodidascalum, de qua quidem fabula altera commentationis parte uberius disserendum erit, nisi omnia fallunt, ad novae fere comoediae similitudinem videtur composuisse.

Nec a describendis amoribus meretriciis abhorruit Pherecrates, si quidem tres comoedias Petalam Corianno Thalassam meretricum nominibus inscripsit, qualia argumenta cum novae tum maxime mediae quae vocatur comoediae poetis mirum quantum gratia floruisse scimus.

Quae cum ita sint non credo falli me coniectura, si ex ipsa hac ingenii dissimilitudine quae Cratetem et Pherecratem a reliquis poetis comoediae veteris segregare videtur, illud repeto, quod Suidas cum duos sibi finxit Cratetas tum Pherecratem narrat Alexandri Magni expeditionibus interfuisse, qua in re assentientem habet Eudociam. Suidae verba haec sunt:

Κράτης. Ἀθηναῖος, κωμικός. οὗ ἦν ἀδελφὸς Ἐπίλυκος, ποιητὴς ἐπῶν. δράματα αὐτοῦ εἰσιν ζ' [vel potius ἕξ, ʿξ in codice A esse affirmat Bernhardius] *Γείτονες, Ἥρωες, Θηρία, Λάμια, Πεδῆται, Σάμιοι. ἔγραψε δὲ καὶ καταλογάδην τινά.*

Κράτης. κωμικὸς [ἕτερος omissum est in cod. A] *καὶ αὐτὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. φέρεται αὐτοῦ δράματα τρία· Θησαυρὸς, Ὄρνιθες, Φιλάργυρος.*

Atque cave credas duos fuisse Cratetas: id quod ante Meinekium hist. crit. p. 58 iam vidit Bernhardius ad Suidam I p. 394. Nec est neglegendum quod praeter Aves etiam Thesaurum et Philargyrum docuisse dicitur alter ille Crates. Quodsi utramque fabulam scripsit Crates, nec habeo cur in dubitationem vocem, egregie mea de Cratete Pherecrateque confirmatur coniectura. Nam satis frequens id fabularum genus est in media comoedia, frequentius etiam in nova. Thesaurus enim fabula, si discesseris a Cratete, a sex poetis scripta est Anaxandride Philemone Menandro Diphilo Archedico Dioxippo, a tribus Philargyrus Philippide Dioxippo Theogneto; *Φιλάργυροι* autem fuerunt Philisci fabula.

Gravius etiam est Suidae de Pherecrate testimonium:

Φερεκράτης, Ἀθηναῖος, κωμικός. ὃς Ἀλεξάνδρῳ συνεστράτευσεν. ἐδίδαξε δράματα ιζ'. Φερεκράτης Πετάλῃ γράφει.

Qui mirabilis temporum error unde fluxerit non poterit explicari, nisi auctorem quo usus est Suidas indole comoediae Pherecrateae deceptum fuisse arbitrabimur. Quo factum est, ut Alexandri Magni tempora i. e. novae comoediae aetatem tribueret Pherecrati.

Iam quales essent et Cratetis et Pherecratis fabulae, ex Aristophanis atque grammatici anonymi testimonio, quoad eius fieri potuit, conati sumus colligere: sed alia exsistit quaestio gravissima, ubi prima origo immutati cursus quaerenda esse videatur.

Megarensium enim veterem comoediam, si fuit, id quod denegare non audeo, in ludificationibus cavillationibus dicteriis constitisse totam vidimus, antiquissimam quoque Atticorum comoediam, sive ex Megaricae imitatione profecta sive patrio solo orta est, perspeximus eandem prorsus prae se tulisse insectandi indolem. Inde simul illud apparet non iam posse teneri iudicium Theodori Bergkii, viri de Atticorum comoedia mirum quantum meriti, quod quidem fecit

in libro ante hos quadraginta fere annos edito, cum hoc studiorum genus vixdum vigere coepit, commentationum de reliquiis comoediae Atticae antiquae p. 267: 'Cratinus ludicra illa et ioculari comoedia, quae ante floruit in Attica, spreta, altius sustulit artem atque omnem rerum humanarum et divinarum vim et infinitam paene materiam complexus est, quam in fabulis quasi sub iudicium mitteret. Crates autem, qui magna erat morum lenitate, ardua illa et difficili, quam aperuerat et munierat Cratinus, via relicta, tritum magis et vulgare iter secutus est: neque enim sustinere potuit, tanta oris libertate et audacia perstringere omnia atque censere: et desperavit fortasse se aequales comicos aut superare aut aequare posse. Quare Crates, etsi serius ad fabulas scribendas animum applicuit, quam Cratinus, propius tamen ad antiquiorum poetarum similitudinem accessit. Non tamen exile illud et frigidum iocandi genus, quo priores erant usi, aemulatus est, sed nova quaedam incrementa conquisivit, quibus musicam artem ornaret et illustraret'.

Qui autem factum est, ut, postquam praecedentibus aliis Cratinus rapidi torrentis instar*) omnia secum auferens rei publicae imaginem lineamentorum subtilitate adumbrare et instituta magistratus leges universamque vitam publicam summa sententiarum gravitate, verborum maiestate, reprehendendi acerbitate perstringere coepit, Crates et Pherecrates prorsus aliam viam ingrederentur nondum antea in Attica initam ad privatorum hominum casus et mores vitamque denique vulgarem deflectentes? Videbimurne nobis etiamnunc ansas habere ad indagandam caussam mirabilis commutationis? Si nullis de hác re uti liceret testimoniis, per se iam erat veri simillimum, ut immutati cursus fontem in Sicilia investigandum esse arbitraremur. Quaecumque enim de Cratete Pherecrateque memoriae tradita sunt, ea revocant et digito, ut ita dicam, intendunt omnia ad comoediam Siculorum et ad Epicharmum auctorem.

Comoedia autem Siciliensis Megarae potissimum Siculorum, in colonia Megarensium Nisaeorum exculta quamquam haud dubie cohaesit quodam modo cum vetere illa Megarensium Nisaeorum comoedia, de qua in prooemio egimus, plurimum tamen interfuit inter utramque.

*) id de se ipse profitetur Cratinus grandibus Pytinae versibus, quos servavit scholiasta Aristophanis ad Equitum v. 526 apud Duebnerum p. 52 b *ὁ γὰρ Κρατῖνος οὕτω πως ἑαυτὸν ἐπῄνεσεν ἐν τῇ Πυτίνῃ*

ἄναξ Ἄπολλον τῶν ἐπῶν τῶν ῥευμάτων·
καναχοῦσι πηγαί δωδεκάκρουνον τὸ στόμα,
Ἰλισσὸς ἐν τῇ φάρυγι· τί ἂν εἴποιμί σοι;
εἰ μὴ γὰρ ἐπιβύσει τις αὐτοῦ τὸ στόμα,
ἅπαντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασιν

sic Meinekius II p. 119. Quos versus egregie vertit Grotius Excerpt. p. 492 hunc in modum:

o di deaeque cárminum ceu flúminum
scatebraé sonant: in óre fontes dúodecim,
in gútture est Ilissus; quid dicam âmplius?
nisi quis illi própere os obturáverit,
haec cúncta merget súb diluvio cárminum.

Etenim ut veteris comoediae Megaricae, nisi pro obscuris illis et abiectis initiis hoc nomen putabitur magnificentius, indoles maledica fuit potentiorumque hominum procaci ludificatione constitit: ita Siculorum comoedia et qui eius dux fuit et princeps praeclarissimus Epicharmus adeo maledicere destitit, nullum ut apud eum inveniatur maledicentiae vestigium. Confirmatur hoc praeterea auctoritate una omnium gravissima Aristotelis, de qua in fine dicetur uberius.

Quanta autem quamque excellenti fuerit praestantia Epicharmus cum ex exiguis quae ad nos perlatae sunt fabularum reliquiis aegre possit perspici, tamen praeter Aristotelis auctoritatem vel inde intellegitur, quod Homerum et Epicharmum comparans comicae alterum, alterum tragicae poesis principem dicit Plato Theaeteti p. 152 E: *τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι τῆς ποιήσεως ἑκατέρας, κωμῳδίας μὲν Ἐπίχαρμος, τραγῳδίας δὲ Ὅμηρος.*

Exstat autem hoc de Epicharmo testimonium anonymi apud Duebnerum p. XIV b. Meinek. I p. 535: *τούτων δέ εἰσιν ἀξιολογώτατοι Ἐπίχαρμος, Μάγνης, Κρατῖνος, Κράτης, Φερεκράτης, Φρύνιχος, Εὔπολις, Ἀριστοφάνης.*

Ἐπίχαρμος [addidit Dindorfius]. *οὗτος πρῶτος τὴν κωμῳδίαν διερριμμένην ἀνεκτήσατο πολλὰ προςφιλοτεχνήσας. χρόνοις δὲ γέγονε κατὰ τὴν ογ' Ὀλυμπιάδα· τῇ δὲ ποιήσει γνωμικὸς καὶ εὑρετικὸς καὶ φιλότεχνος. σώζεται δὲ αὐτοῦ δράματα μ', ὧν ἀντιλέγονται δ'.*

Ex quadraginta igitur comoediis omnium consensu videntur Epicharmo adscriptae esse hae triginta sex:

Ἀγρωστῖνος, Ἀλκύων, Ἄμυκος, Ἁρπαγαί, Βάκχαι, Βούσιρις, Γᾶ καὶ Θάλασσα, Διόνυσοι, Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος, Ἑορτὰ καὶ Νᾶσοι, Ἐπινίκιος, Ἥβας γάμος, Ἡρακλῆς παρὰ Φόλῳ, Ἡρακλῆς ἐπὶ τὸν ζωστῆρα, Θεαροί, Κύκλωψ, Κωμασταὶ ἢ Ἥφαιστος, Λόγος καὶ Λογίννα, Μεγαρίς, Μᾶνες, Μῶσαι, Ὀδυσσεὺς αὐτομόλος, Ὀδυσσεὺς ναυαγός, Ὀρύα, Περίαλλος, Πέρσαι, Πίθων, Πύρρα ἢ Προμαθεύς, Σειρῆνες, Σκίρων, Σφίγξ, Τριακάδες Τρῶες, Φιλοκτήτης, Χορεύοντες sive *Χορευταί, Χύτραι.*

Duplex igitur comoediarum Epicharmearum fuit genus. Unum duodeviginti fere fabulas complectens, quod in ridicula conversione rerum mythicarum consistit, hoc loco non persequor. Nec vero dubito gnarus eorum quae contra hanc sententiam prolata sint, quin eae ipsae Epicharmi fabulae multum gratia valuerint apud mediae comoediae Atticae poetas. Quamquam verum est dispari consilio et ratione utrosque in eadem re versatos esse. Etenim certos certarum fabularum poetas vel epicos vel tragicos maximam partem castigat et irridet media comoedia: Epicharmus fabulas ipsas, quae de deis in ore populi erant, comice tractavit ridiculumque in modum recoxit et convertit. Qua in re ita est versatus, ut deis heroibusve sermonem gestum ornatum hominum vulgarium attribueret. Sed hoc fabularum genus hic non curo, quamquam quas Crates et Pherecrates docuerunt comoediae mythicae in eundem fere modum videntur compositae fuisse.

Altero autem fabularum genere Epicharmus — id quod cum ex ipsis titulis tum ex eis quae nobis servatae sunt reliquiis facile cognoscas — ficta argumenta tractavit ex vulgari consue-

tudine et communi vita hominum deprompta. Primus igitur iam Epicharmus vitae quotidianae imaginem depinxit, quam postea tanta tamque polita arte excolebant Menander Philemo Diphilus Apollodorus alii, nihil ut unquam in eo genere perfectius absolutiusve sit inventum. Atque ob eam caussam Epicharmus iure meritoque non modo novae comoediae Atticae parens est appellandus, quippe qui viam qua postea ad novam illam comoediam est perventum antiqua aetate struxerit ac patefecerit, sed peculiaris etiam comoediae inventor in omne tempus celebrandus, quam recentiores populi conformarunt novae Atticorum comoediae vestigia persecuti.

Fuit autem Epicharmus novae comoediae plus uno nomine exemplo, nec in ea re ab eo declinarunt Crates et Pherecrates: id quod, ut iam dixi, coniceremus, si nullis uti liceret testimoniis. Praetermitto sententiarum dictorumque saluberrimorum ubertatem, qua ante novam comoediam insignis erat Epicharmus. Quamobrem non mirabimur apud Cratetem etiam et Pherecratem id genus sententias inveniri, si modo imitati sunt Epicharmum. Cuius rei exempla in altera commentationis parte enumerabuntur.

Eosdem autem fere comoediarum titulos deprehendas et apud Epicharmum et apud Cratetem Pherecratemque et apud novae comoediae poetas, eademque argumenta.

Accedit quod Epicharmus pariter atque nova et ex parte media comoedia certas illas personas in scaenam produxit — constantes vel stabiles eas nominaveris — quibus non videtur carere posse comoedia vitae quotidianae imitatrix. Nec dubitandum quin earum habitum moresque tam subtili quasi penicillo depinxerit, ut eius populares naturam ipsam videre sibi viderentur.

Nam ebrii persona comicorum primus usus est. Testimonio iam fuit Athenaeus l. X p. 429a [v. supra p. 14], qua in re illud non est neglegendum, quod post Epicharmum a Cratete in Vicinis hoc factum esse affirmat Athenaeus: *πρῶτον Ἐπίχαρμον ἐπὶ τὴν σκηνὴν παραγαγεῖν μεθύοντα· μεθ᾽ ὃν, Κράτητα ἐν Γείτοσι.* Idem invenit simulque perfecit personam parasiti mirum quantum mediae novaeque comoediae gratiosam nec unquam exhaustam, quamquam ipsum nomen nondum adhibebat: qua de re haec habet Athenaeus l. VI p. 235e: *τὸν δὲ νῦν λεγόμενον παράσιτον Καρύστιος ὁ Περγαμηνὸς ἐν τῷ περὶ Διδασκαλιῶν εὑρεθῆναί φησιν ὑπὸ πρώτον Ἀλέξιδος· ἐκλαθόμενος ὅτι Ἐπίχαρμος ἐν Ἐλπίδι ἢ Πλούτῳ παρὰ πότον αὐτὸν εἰσήγαγεν οὑτωσὶ λέγων·*

Ἀλλ᾽ ἄλλος ὅδ᾽ ἕστιχ᾽ ὧδε τοῦδε κατὰ πόδας,
τὸν ῥᾳδίως λαψῇ τιν, καίτοι νῦν γα θὴν
εὔοινον, ἀείσιτον· ἀλλ᾽ ἔμπας ὅδε
ἄμυστιν ὥςπερ κύλικα πίνει τὸν βίον.

Αὐτὸν δὲ ποιεῖ τὸν παράσιτον λέγοντα τοιάδε πρὸς τὸν πυνθανόμενον·

Συνδειπνέω τῷ λῶντι, καλέσαι δεῖ μόνον,
καὶ τῷ γα μηδὲ λῶντι, κ᾽ οὐδὲν δεῖ καλεῖν.
τηνεὶ δὲ χαρίεις τ᾽ εἰμὶ καὶ ποιέω πολὺν

γέλωτα καὶ τὸν ἱστιῶντ᾽ ἐπαινέω.
καἴκα τις ἀντίον τι λῇ τήνῳ λέγειν,
τήνῳ κυδάζομαί τε καὶ ποτέχθομαι.
κῄπειτα πολλὰ καταφαγών, πόλλ᾽ ἐμπιὼν
ἄπειμι. λύχνον δ᾽ οὐχ ὁ παῖς μοι συμφέρει·
ἕρπω δ᾽ ὀλισθράζων τε καὶ κατὰ σκότος
ἐρῆμος. αἴκα δ᾽ ἐντύχω τοῖς περιπόλοις,
τούτοις ἀγαθὸν ἐπιλέγω τοῖς θεοῖς, ὅτι
οὐ λῶντι παίειν, ἀλλὰ μαστιγῶντί με.
ἐπεὶ δέ χ᾽ ἥκω οἴκαδις καταφθαρείς,
ἄστρωτος εὕδω, καὶ τὰ μὲν πρῶτ᾽ οὐ κοῶ,
ἇς κα μ᾽ ἄκρατος οἶνος ἀμφέπῃ φρένας.

Καὶ ἄλλα δὲ τοιαῦτα ἐπιλέγει ὁ τοῦ Ἐπιχάρμου παράσιτος.

Loco depravatissimo, in quo multa emendatione videntur egere, adhibui quae de eo scripta sunt omnia praeter Lorenzii librum 'Leben und Schriften des Koers Epicharmos', quem inspicere mihi non licuit. Atque scripturam quam secutus sum defendere hic supersedeo. Quattuor autem primorum versuum reliquo loco etiam depravatiorum nemo adhuc versionem metricam tentavit, sequentia ipsa quoque ex mea versione dedi, quamquam in eis interdum usus sum Grotii aliorumque versionibus, quos videas apud Schweighaeuserum t. VIII p. 377 sqq. Sic autem verto Epicharmi versus:

Sed álter iste quí stat huius ád pedes,
eum fácile tute cápies, quamvis núnc quidem
bene pótum, bene cenátum: verum haurít tamen
incóntinenter vítam tanquam póculum.
— — — — — — — — — — — —
Volénti sum convíva, dum modo mé vocet,
et cúm nolente céno, qui me nón vocet.
ibi égo sum lepidus, rísum multum súscito,
convívatorem extóllo miris laúdibus:
at ílli contra sí quis ausit dícere,
hunc hóstem mihi desúmo, hunc peto convíciis.
postrémo bene cibátus nec potús male
abeó, lucernam némo puer praefért mihi,
sed cásabundus répo tenebris óbsitus,
persólus; tum si fórte in vigiles íncido,
bona vérba eis dico tánquam deis ne mé velint
mulcáre, at illi plágis me inrigánt tamen.

domúm cum veni póst verberibus pérditus,
humí quiesco níl principio séntiens,
omném dum sensum vís meri oppressúm tenet.

Conferendus praeterea est locus Pollucis VI 35, qui in hac una re erravit quod Epicharmum nomine parasiti iam usum esse dicit: *ἐπὶ τοῦ παρασιτεῖν κατὰ λιχνείαν ἢ κολακείαν πρῶτος Ἐπίχαρμος τὸν παράσιτον ὠνόμασεν, εἶτα Ἄλεξις* Ad rem ipsam conferatur Casaubonus apud Schweighaeuserum t. VIII p. 374.

Praeter ebrium et parasitum rustici persona ab Epicharmo introducta est nec a fide abhorret ex incredibili varietate copiaque comicarum personarum, quae tum in media tum in nova comoedia frequentatae sunt, alias etiam iam ab Epicharmo esse adhibitas. Cum parasito enim coqui personam saepenumero coniunctam videas in media novaque comoedia. Vtriusque autem comparatione quam commoda risum captandi occasio poetis comicis se praebuerit non est quod moneam. Atque cum parasiti famelici partes, qui assa mirabili narium sagacitate odorans perpetuo tota volitat urbe, ut alicunde escam molliculam auferat, egregia arte adumbraverit Epicharmus, iure mirere, si coqui persona abstinuerit Epicharmus, quae ubi primum inductus est parasitus, sponte quasi se offerebat. At habemus Maesonis coqui personam in comoedia Megarica, quam denominatam esse a Maesone histrione quodam Megarico affirmavit Aristophanes Byzantius apud Athenaeum l. XIV p. 659a: *Μαίσων γέγονε κωμῳδίας ὑποκριτὴς Μεγαρεὺς τὸ γένος, ὃς καὶ τὸ προςωπεῖον εὗρε τὸ ἀπ' αὐτοῦ καλούμενον μαίσωνα, ὡς Ἀριστοφάνης φησὶν ὁ Βυζάντιος ἐν τῷ Περὶ Προσώπων, εὑρεῖν αὐτὸν φάσκων καὶ τὸ τοῦ θεράποντος πρόσωπον καὶ τὸ τοῦ μαγείρου. καὶ εἰκότως καὶ τὰ τούτοις πρέποντα σκώμματα καλεῖται μαισωνικά.*

Ille Maeso nostra demum aetate falso in poetarum numero est relatus a Schneidewino coniectan. crit. Gotting. MDCCCXXXIX p. 120 sqq. Coquo igitur Megarico prorsus idem accidit quod Dossenno Horatii ep. II, 1, 173, quem a nullo adhuc Maesoni esse comparatum est quod mirere. Non fuerunt nisi personae comicae. Maesonis autem nomine ex Aristophanis Byzantii loco elucet [cf. Pollux IV 149, Hesychius '*Μούσωνες*', Festus 'Moesones'] duas personas comicas et coqui et servi appellatas esse. Atque Chrysippus quidem iure suo Maesonis nomen non ab histrione quodam, sed a *μασᾶσθαι* manducandi verbo inditum esse existimavit [vide Athenaeum l. XIV p. 659a *Χρύσιππος δ' ὁ φιλόσοφος τὸν Μαίσωνα ἀπὸ τοῦ μασᾶσθαι οἴεται κεκλῆσθαι, οἷον τὸν ἀμαθῆ καὶ πρὸς γαστέρα νενευκότα*]

Quid autem? Maesonis coqui partes num pertinere credas cum Meinekio hist. crit. p. 22 ad comoediam Megarensium Nisaeorum? Minime vero. Adversatur haec coniectura eis quae de Megaricae comoediae natura in prooemio disputavimus. Imo vero propria fuit comoediae Siculorum, cuius principem fuisse Epicharmum supra vidimus. Atque id iam Alexandrinorum temporibus a Polemone recte iudicatum est, de quo dicit Athenaeus l. XIV p. 659c *τὸν δὲ Μαί-*

σωνα Πολέμων ἐν τοῖς Πρὸς Τίμαιον ἐκ τῶν ἐν Σικελίᾳ φησὶν εἶναι Μεγαρέων καὶ οὐκ ἐκ τῶν Νισαίων

Non igitur erraverimus. si etiam Maesonis coqui personam ipsi Epicharmo adscribemus.

Sed haec explicare non est huius loci: illud autem per se veri est simillimum. tum ebrii personam. ut diserte traditum est ab Athenaeo. tum personas comicas omnes. quibus usi sunt Crates et Pherecrates. aperta Epicharmi imitatione esse expressas.

Vnum restat idque omnium gravissimum. Non enim ullo modo potest dubitari. quin Epicharmi fabulae iam ad perfectae artis speciem fuerint compositae. Id ut a tanti ingenii homine aliter non exspectes. ita ab antiquitatis scriptoribus traditur planissime. Atque grammatici illius anonymi testimonium iam attulimus: *οὗτος πρῶτος τὴν κωμῳδίαν διερριμμένην ἀνεκτήσατο πολλὰ προσφιλοτεχνήσας . . . . τῇ δὲ ποιήσει γνωμικὸς καὶ εὑρετικὸς καὶ φιλότεχνος.* Ac plurimum in ea re valent iudicia egregia Aristotelis. de quo iam disseretur. Platonis. quod supra commemoratum est, aliorumque. nec infimum locum obtinet decantatum illud Horatii ep. II, 1. 58

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi

quod sive intellegendum est de Epicharmi ad eventum festinatione, ut mihi quidem videtur, sive de praecipiti sermonis celeritate, quae nunquam audientium animos relaxari sinat: pari modo artificiosam fabularum compositionem testificatur.

Atque haec dispositionis praestantia. quam posthac in nova comoedia ad egregiam plane speciem auctam excultamque esse omnes antiquitatis scriptores consentiunt, ne a Cratetis quidem et Pherecratis fabulis videtur aliena fuisse. Nam si modo demonstrare poterimus reapse utrumque poetam Epicharmi vestigiis institisse. iure licebit coniecturam facere de ratione et arte earum fabularum, quae ex eius imitatione pependerunt. Leve hac in re est. quod et Epicharmo et Pherecrati eadem *εὑρετικοῦ* virtus tribuitur ab anonymo. Sed demonstratur haec Epicharmi in Cratetem Pherecratemque vis et auctoritas. nullus ut dubitandi locus relictus es e videatur adminiculo et firmamento gravissimo Aristotelis loco poeticae p. 1449ᵇ 5. in quo quasi in speculo omnium omnia quae de hoc comoediae genere servata sunt testimonia conspiciuntur.

Locus hic est: *τὸ δὲ μύθους ποιεῖν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις· τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐκ Σικελίας ἦλθε. τῶν δὲ Ἀθήνησιν Κράτης πρῶτος ἦρξεν ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας καθόλου ποιεῖν λόγους καὶ μύθους* id est: tabulas vero facere Epicharmus et Phormis; atque initio quidem e Sicilia venit, eorum vero qui Athenis fuerunt Crates primus abiecta specie iambica [misso lacessendi more] coepit generaliter facere fabulas et argumenta. [Ad verba *τὸ δὲ μύθους ποιεῖν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις* deest verbum *ὑπέδειξεν* vel simile aliud. quod ex *ἀπέδωκεν* facile unusquisque supplebit. cf. I. Vahlenus Aristotelis de arte poetica p. 102].

Quo quidem testimonio duae res de Cratete praedicantur. quarum una pertinet ad *ἰαμβικὴν*

ἰδέαν, altera ad *καθόλου λόγους καὶ μύθους*. Atque *ἰαμβικὴ ἰδέα* quid esset nemo umquam quantum ego scio dubitavit, in altera autem re in diversas partes itum est ab eis qui in locum Aristotelis inquisiverunt. Pertinet enim *ἰαμβικὴ ἰδέα* ad singulorum hominum irrisionem brevissimeque ab Aristotele significatur totum illud comoediae genus, quod excultum est a Cratino Eupolide Aristophane reliquisque poetis comoediae veteris fere omnibus. Intellegitur hoc etiam ex alio poeticae loco 1451^{b} 11 *ἐπὶ μὲν οὖν τῆς κωμῳδίας ἤδη τοῦτο δῆλον γέγονεν· συστήσαντες γὰρ τὸν μῦθον διὰ τῶν εἰκότων οὕτω τὰ τυχόντα ὀνόματα ὑποτιθέασιν καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ ἰαμβοποιοὶ περὶ τῶν καθ' ἕκαστον ποιοῦσιν* [*περὶ τῶν καθ' ἕκαστον* lego contra Vahlenum qui codicis Parisini auctoritatem in hac quoque re sequendam esse duxit. Sed genus neutrum efflagitare mihi videtur constans Aristotelis usus]. Quod ita accipio: atque in comoedia quidem hoc iam apparuit; ex quo enim fabulam ad speciem veri similitudinis composuerunt, arbitraria i. e. ab ipsis excogitata nomina imponunt neque ut iamborum scriptores faciunt qui nomina imponere solent a singulis certisque hominibus deprompta i. e. *ὀνομαστὶ κωμῳδοῦσιν*. *Συστήσαντες* participium de tempore intellego nec, uti cum Antonio Riccobono [nam cum constituerint fabulam per verisimilia] fecit G. Hermannus, de caussa [nam cum fabulam e probabilibus componant]. De enuntiati forma difficiliore *καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ ἰαμβοποιοὶ ποιοῦσιν* egit Vahlenus ad poet. 1461^{a} 31 p. 229. Lessingius dramaturg. Hamburg. partic. LXXXIX hunc locum minus recte sic est interpretatus: 'bei der Komoedie nun hat sich dieses schon ganz offenbar gezeigt; denn wenn die Fabel nach der Wahrscheinlichkeit abgefasst ist, legt man die etwaigen Namen sonach bei, und macht es nicht wie die jambischen Dichter, die bei dem Einzelnen bleiben'. *Ἰαμβοποιοί* autem, id quod nemo non videt, ei dicuntur qui in antiquis comoediis componendis versati sunt.

Quod si Aristoteles Cratetem primum speciem iambicam abiecisse ait [*Κράτης πρῶτος . ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας*] omnino consentit cum anonymi de Pherecrate testimonio: *καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη*. Quid quod Aristoteles ipso quoque *λοιδορίας* nomine de antiqua comoedia videtur usus esse, si quidem vera sunt quae de grammatico illo Aristoteleo post Cramerum anecd. Paris. I 403 disputavit I. Bernaysius musei Rhenani vol. VIII p. 561 sqq. cf. Duebn. p. XXVII, Meinek. II 1256: *διαφέρει ἡ κωμῳδία τῆς λοιδορίας. ἐπεὶ ἡ μὲν λοιδορία ἀπαρακαλύπτως τὰ προσόντα κακὰ διέξεισιν, ἡ δὲ δεῖται τῆς καλουμένης ἐμφάσεως*, ubi item atque poet. loco 1449^{b} 8 et 1451^{b} 11 antiqua et nova comoedia inter se oppositae sunt. Sed hoc grammatici testimonium infra afferetur plenius.

Difficilior ad diiudicandum altera est de *καθόλου λόγων καὶ μύθων* significatione quaestio. Ac fuerunt quidem qui *λόγους* et *μύθους* verba hoc loco inter se contraria esse sibi persuaderent, ut sunt apud Platonem Phaedonis 61 B *τὸν ποιητὴν δεῖ, εἴπερ μέλλει ποιητὴς εἶναι, ποιεῖν μύθους, ἀλλ' οὐ λόγους*. Ibi enim Socrates moribundus somnio se admonitum esse narrat, ut carmina pangeret; atque initio quidem hymnum se in honorem Apollinis composuisse, post autem ubi secum considerasset non cogitata [*λόγους*] tractanda esse poetae, sed fabulas [*μύθους*], cum fabulis inveniendis imparem se esse sensisset, Aesopi fabulas in versus redegisse.

Aperte igitur Plato philosophiam et poesim inter se opponit poetamque dicit extra fines poesi constitutos egredi, si, qui philosophiae sit campus, cogitata notiones explicationes definitiones versibus describat. Sed haec significatio quam sit ab Aristotelis loco aliena unusquisque videt.

De quo ipso Meinekius hist. crit. p. 60 duplicem proposuit sententiam, quarum tamen utraque mihi quidem eodem videtur redire. Antea enim *λόγους* ad eas referebat comoedias, quas Crates Epicharmo duce e communi hominum vita, *μύθους* contra ad eas, quas eodem duce e mythicarum fabularum cyclo petebat. Post vero *λόγους* eas dici res affirmabat, quae aut vere factae essent aut fieri possent, *μύθους* autem *ποιεῖν* eos dici poetas, qui rerum ab ipsis inventarum imaginem exhiberent. Quacum verborum interpretatione non discrepat Bergkius comment. de reliq. com. Att. antiq. p. 276: 'iam Aristoteles quod dicit Cratetem non solum *μύθους*, verum etiam *λόγους ποιεῖν* indicat illum non simpliciter fictam aliquam imaginem (*μῦθον*) proposuisse, verum quae est comoediae vis et natura etiam ex praesentia, ex aequalibus petiisse, quae quidem ad pulcritudinis veritatisque aeternam speciem retulerit (*λόγον*). Itaque *μῦθος* et *λόγος* apud Aristotelem fere eodem modo differunt, quo apud nos *Dichtung* et *Wahrheit*'. Quibuscum comparanda sunt ea quae de *μύθου* vocabuli usu idem dicit p. 268: 'notio illius vocabuli *μῦθος* apud Aristotelem latissime patet; *μῦθον* enim vocat id quod ab ipsius poetae ingenio inventum est atque excogitatum, fictum quasi quoddam simulacrum vitae, idque summum esse contendit: in poetae enim mente insidet divina quaedam species veritatis eiusque animo obversatur, ad cuius similitudinem poema quasi imaginem quandam conformat, ita ut haec quae sub oculos cadit effigies imitatio sit perfectae illius speciei, quae mente tantum et ratione continetur: itaque quo propius externa illa forma ad ipsam illam veritatem accedit, eo pulcrius poetae ingenium esse dicimus: hoc igitur quod poeta quasi ex se suoque ingenio petiit, ad ultimam illam speciem redigens, non contemplatus aliquid in rerum varietate, ad cuius similitudinem artem conformaret, vocatur ab Aristotele *μῦθος*'.

At iure Susemihlius Aristotelis poeticae ed. Lipsiae MDCCCLXV p. 168 ad impugnandam hanc sententiam provocat ad ipsum Aristotelem cap. IX §. 1—10, ubi de differentia quae sit inter rerum scriptorem et poetam disserens non curare poetam ait philosophus quae facta sint sed qualia fieri possint. Nihil igitur refert argumenta utrum ex memoria rerum fabulisve petat an sibi ipse excogitet poeta.

Vnde *λόγους* et *μύθους* apparet nullo modo posse inter se contraria esse. Atque in eadem sententia iam G. Hermannus fuit praeter necessitatem scribens *λόγους ἢ μύθους*. Idem utriusque verbi significationem recte videtur perspexisse, cum dicit Aristot. poet. p. 114: 'argumenta quae neglectis conviciis implicationem aliquam et solutionem haberent. Haec vocat *λόγους ἢ μύθους καθόλου*, *μύθους* propter implicationem et solutionem, *καθόλου* quia non amplius convicia in hunc vel illum iactarentur.' Meinekius Hermanni interpretationem redarguisse nequaquam est existimandus, qui hist. crit. p. 59 'atqui, inquit, eiusmodi fabulas cum iam Cratinum in scenam protulisse constet, nisi quis etiam apud Aristotelem pro Cratete Cratini nomen reponi velit, alia interpretationis via ineunda est'. Etenim neque a Cratino neque a reliquis poetis

comoediae veteris fabulas scriptas esse quae re vera implicationem et solutionem haberent supra vidimus. ubi dictum est de novae comoediae in disponendis argumentis concinnitate ac praestantia.

Atque de notionis varietate quam in doctrina artis poeticae et *λόγος* et *μῦθος* apud Aristotelem habeat post I. Vahleni de arte poetica commentationem primam quam inseruit annalibus academiae Caes. Vindobonensis vol. L ann. MDCCCLXV p. 295—298 et post editum Bonitzii indicem Aristotelicum omni laude maiorem vix poterit quisquam hodie in errore versari. Significat enim *μῦθος* '*πράγματα* sive ficta sive facta quae poesi subiecta sunt', materiam carminis alicuius vel epici vel dramatici. Quae quidem notio una prorsus eademque est atque *λόγου* vocabuli; vide Bonitzii indicem p. 433. Praeterea autem *μῦθος* materiam ordinatam significat, argumentum apte dispositum. *οἰκονομίαν* vel, ut Aristotelis utamur verbis, *τὴν τῶν πραγμάτων σύστασιν* vel *σύνθεσιν*.

Ac priorem quidem significationem hoc loco usurpatam esse affirmat Vahlenus p. 298: 'daher ist *μῦθος* denn auch der jeder Individualisierung noch bare Stoff in seiner nackten Allgemeinheit, wie er dem zu schaffenden Gedicht vorausliegt, oder aus dem fertigen Dichtwerk als argumentum herausgehoben werden kann. In dieser letzteren, sowie in mehreren anderen Beziehungen gebraucht Aristoteles mit *μῦθος* synonym den Ausdruck *λόγος* . . . . *λόγοι καὶ μῦθοι* ist eine Combinierung synonymer Begriffe zur Bezeichnung zusammenhängender Stoffe und Handlungen allgemeiner Art. Aehnlich verbindet Aristoteles, doch ohne an die Dichtung zu denken. Politik 1336 a 30 *περὶ λόγων καὶ μύθων ποίους τινὰς ἀκούειν δεῖ* . . . . Dass aber Aristoteles Stil die Combinierung synonymer Ausdrücke nicht verschmäht, dafür sind einige Beispiele im Obigen gegeben, und es liessen sich ihrer auch aus der Poetik, noch viel mehr zusammenstellen'. Eo modo anonymum, de quo supra dixi, *μύθων* vocabulo usum esse apparet Duebn. p. XV, qui Pherecratem *εὑρετικὸν μύθων* dicit. ubi *μύθων* nihil sane aliud est quam *λόγων*.

Postero tempore Vahlenus sententiam paullum videtur mutasse. Dicit enim ad Aristot. poet. ed. alt. p. 102: 'verbis *λόγους καὶ μύθους* nulla differentia fabularum quam propter Epicharmi exemplum putarunt significatur sed Aristotelem hoc voluisse opinor *καθόλου ποιεῖν λόγους* id est *μύθους*'.

Neutram probo sententiam. Nec enim adducor ut quamvis utriusque verbi summa sit necessitudo prorsus idem significare *λόγους* et *μύθους* credam, nec cum *λόγους* vocabulo solo coniungo *καθόλου*, sed cum utroque *λόγους καὶ μύθους*. Atque haec est mea de hoc loco sententia, ut *λόγου* vocabulum spectare existimem ad *πράγματα* materiam fabulam dramatis. *μῦθος* autem ad materiam bene ordinatam ita quidem, ut *μῦθος* in se contineat *λόγον*. Alteram igitur illam significationem hic locum habere credo, qua utitur Aristoteles 1450 a 3, *ἔστι δὲ τῆς μὲν πράξεως ὁ μῦθος ἡ μίμησις· λέγω γὰρ μῦθον τοῦτον τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων*, cf. 1451 a 30 *χρὴ οὖν καθάπερ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἡ μία μίμησις ἑνός ἐστιν οὕτω καὶ τὸν μῦθον ἐπεὶ πράξεως μίμησίς ἐστι μιᾶς τε εἶναι ταύτης καὶ ὅλης καὶ τὰ μέρη συνεστάναι τῶν*

πραγμάτων οὕτως ὥστε μετατιθεμένου τινὸς μέρους ἢ ἀφαιρουμένου διαφέρεσθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον. Plura eiusdem usus exempla collegit ipse Vahlenus commentationis quam attuli p. 295 sq., vide etiam Bonitzium ind. Aristot. p. 476. Pari modo argumenti vocabulo in utramque partem utuntur Latini, ut facile perspicias ex duobus locis quos cum Aristotelis loco nondum comparatos esse est quod mirere et auctoris ad Herennium I, 8, 13 'argumentum est ficta res quae tamen fieri potuit velut argumenta comoediarum', ubi argumentum nihil significat nisi materiam. *πράγματα* et Quintiliani V, 10, 9 'sed argumentum quoque plura significat. Nam et fabulae ad actum scaenarum compositae argumenta dicuntur et orationem Ciceronis velut thema ipse exponens Pedianus, Argumentum, inquit. tale est: et ipse Cicero ad Brutum ita scribit, Veritus fortasse, ne nos in Catonem nostrum transferremus illinc mali quid, etsi argumentum simile non erat. Quo apparet omnem ad scribendum destinatam materiam ita appellari', ubi utraque significatio coniuncta usurpatur.

Quae si recte disputavi, inest in Aristotelis loco gradatio quaedam vel potius incrementum quam Graeci vocant *αὔξησιν*. Id quod vel inde cognoscas, quod numquam inverso ordine inveniuntur verba *μῦθοι καὶ λόγοι*.

Idem igitur est si ab anonymo illo Duebn. p. XIV, quo de testimonio supra dictum est, Epicharmus dicitur *εὑρετικὸς καὶ φιλότεχνος*, ubi *εὑρετικός* sine dubio ad materiam, *φιλότεχνος* autem ad aptam materiae fabulaeve dispositionem spectat.

Sed illi *λόγοι καὶ μῦθοι* dicuntur *καθόλου*; nam *καθόλου* contra Vahleni sententiam ad utramque vocem referendum mihi videri iam supra commemorabam. Ac de huius vocis usu Aristoteleo non est quod post Lessingium dramat. Hamburg. partic. LXXXIX disputetur copiosius. Sunt autem *λόγοι καθόλου* nihil aliud, si quidem de *λόγον* et *μύθου* vocabulis recte disputavi, nisi materiae generales, *μῦθοι καθόλου* autem materiae generales apte ordinatae atque ad artis speciem conformatae.

Generales autem illae materiae, quippe quae non ad singulos certosque homines, sed ad certi cuiusdam generis vitam mores habitum pertineant, opponuntur ab Aristotele *ἰαμβικῇ ἰδέᾳ*, singulorum hominum irrisioni.

His autem verbis [*λόγοι καὶ μῦθοι καθόλου — ἰαμβικὴ ἰδέα*] Aristoteles differentiam quae interest inter antiquam et novam comoediam quam brevissime descripsit simulque cum pulvisculo, ut aiunt, exhausit; [cf. poet. c. IX, in. 1451ᵃ 36, de quo egit Lessingius: *φανερὸν δὲ ἐκ τῶν εἰρημένων καὶ ὅτι οὐ τὸ τὰ γενόμενα λέγειν, τοῦτο ποιητοῦ ἔργον ἐστίν, ἀλλ' οἷα ἂν γένοιτο καὶ τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον*] ac verissime de hac re Vahlenus commentationis quam attuli p. 293: 'dieses Gesetz erhebt die Dichtung über die individuelle Wirklichkeit hinaus zu der allgemeingiltigen Wahrheit, und zieht die Grenze zwischen der historischen Kunst und der Dichtkunst'.

Atque hanc quidem comoediam quae remota singulorum hominum irrisione inventionis magnificentiam orationisque altius exaggeratae pompam, qua splendebat comoedia vetus, concinna artificiosaque compositione et sedato expolitoque dicendi genere compenset ab Aristotele

comprobari solam notum est inter omnes. Numquam dissimulat comoediam veterem novo genere longe praeponderari nec dubium est quin maioribus adeo laudibus exornaturus fuerit Menandrum, qui Aristotelea inprimis disciplina institutus*) ad tantum artis fastigium videtur se extulisse, si eius mirabilem ac plane egregiam in argumentis et inveniendis et disponendis artem et facilitatem videre ipsi licuisset. Aperte suam de comoedia sententiam praeter poeticae caput IX, quod tractavit Lessingius, profitetur poet. 1448ᵇ 36. Ὅμηρος . . καὶ τὰ τῆς κωμῳδίας σχήματα πρῶτος ὑπέδειξεν οὐ ψόγον ἀλλὰ τὸ γελοῖον δραματοποιήσας et Ethicorum Nicomach. 1128ᵃ 20 ἡ τοῦ ἐλευθερίου παιδιὰ διαφέρει τῆς τοῦ ἀνδραποδώδους καὶ αὖ τοῦ πεπαιδευμένου καὶ ἀπαιδεύτου. ἴδοι δ' ἄν τις καὶ ἐκ τῶν κωμῳδιῶν τῶν παλαιῶν καὶ τῶν καινῶν· τοῖς μὲν γὰρ ἦν γελοῖον ἡ αἰσχρολογία, τοῖς δὲ μᾶλλον ἡ ὑπόνοια· διαφέρει δ' οὐ μικρὸν ταῦτα πρὸς εὐσχημοσύνην. quod verto in hunc modum: 'ingenui hominis iocus differt cum servili et eruditi hominis cum ineruditi ioco. Cognoscas hoc ex veteribus et novis comoediis: ab illis enim pro ridiculo habebatur flagitiosa cavillatio, ab his tectius potius iocandi genus. Discrimen inter utrumque iocandi genus ad honestatem haud est exiguum'. Conferantur praeterea ex eo de comoedia anonymo quem ex pleniore Aristotelis de arte poetica libro hausisse post Cramerum probavit I. Bernaysius mus. Rhenan. vol. VIII p. 561 – 596, Duebn. p. XXVII, Mein. II 1256: διαφέρει ἡ κωμῳδία τῆς λοιδορίας, ἐπεὶ ἡ μὲν λοιδορία ἀπαρακαλύπτως τὰ προςόντα κακὰ διέξεισιν, ἡ δὲ δεῖται τῆς καλουμένης ἐμφάσεως**). ὁ σκώπτων ἐλέγχειν θέλει ἁμαρτήματα τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος. συμμετρία τοῦ φόβου θέλει εἶναι ἐν ταῖς τραγῳδίαις καὶ τοῦ γελοίου ἐν ταῖς κωμῳδίαις, de quibus verbis vide Bernaysium p. 570 – 572.

Sed redeo ad locum ipsum qui nobis non modo ansam dare verum necessitatem etiam imponere videbatur explanandi quid de comoedia iudicaret Aristoteles. Nec vero quidquam obscuri dubiive iam inesse mihi persuadeo in his verbis: τὸ δὲ μύθους ποιεῖν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις· τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐκ Σικελίας ἦλθε, τῶν δὲ Ἀθήνησιν Κράτης πρῶτος ἦρξεν ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας καθόλου ποιεῖν λόγους καὶ μύθους. Efficitur enim ex eo, quod ut crederemus reliquorum testimoniorum coniuncta auctoritas suadebat, Cratetem vel spreto vel neglecto saltem quod antea in Attica florebat comoediae genere Epicharmi exemplum plane esse secutum [τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐκ Σικελίας ἦλθε]. Namque primus Atticorum poetarum abiecit iambicam illam speciem, unde comoedia vetus adeo animam ducebat, eam ut ante Cratetem solam, post Cratetem et qui ad eum quasi patronum se applicabat Pherecratem fere solam amplecteretur [ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας]. Idem Epicharmo duce comoediam ad vitam communem adducere argumentaque generalia, quippe quae non ad singulos homines, sed ad vulgi mores vitamque pertinerent [καθόλου λόγους] eaque artificiosa quadam membrorum dispositione et copulatione [μύθους] describere coepit.

Sunt autem argumenta illa generalia Cratetis, id quod per se intellegitur, eiusdem generis

*) cf. I. Bernaysius 'Ergänzung zu Aristoteles Poetik' insert. mus. Rhenan. vol. VIII MDCCCLIII p. 573.

**) hoc testimonium iam supra afferebam p. 23.

atque *πράγματα καινά*, quibus introductis magna laude floruisse [*ηὐδοκίμει*] Pherecratem significabat anonymus eum *γενόμενον εὑρετικὸν μύθων* dicens [cf. p. 10].

Ea autem argumenta generalia, quae propriae et peculari comoediae vindicabat Aristoteles, ut in media quae vocatur comoedia aliqua saltem ex parte tractari coepta sunt, ita a novae demum comoediae poetis Menandro Philemone Diphilo Apollodoro aliis, quorum primitias tantum, ut ita dicam, vidit Aristoteles, unice sunt exculta et ad absolutionem perfectionemque adducta. Quae cum ita sint, iusto iure egisse mihi videor, si Cratetem et qui eius vestigiis insistebat Pherecratem novae comoediae praecursores ac praenuncios appellavi.

Atque haec quidem veterum de Cratetis et Pherecratis comoedia plus uno nomine notabili servata sunt testimonia: altera commentationis parte fabularum tum tituli tum reliquiae percensebuntur.

Quoniam autem ad finem partis prioris perventum est, nihil iam videtur restare nisi gratiarum actio. Ecksteinii enim rectoris prompta liberalitas ex uberrima copia librorum suorum aliquot libros rariores studiis meis commodavit, quibus aegre carebam.

———

